Tractatus duo singulares

DE


EXAMINE SAGARUM

Super aquam frigidam projectarum

(Von der Wasser-Prob der Hexen)

In quibus hujus Purgationis Origo, Natura & Veritas curiosè inquiritur

Variæque quæstiones ê Theologorum, JCtorum, Medicorum & Philosophorum scriptis petitæ doctissimè & jucundè resolvuntur.



Francofurti & Lipsiæ

Sumptibus THEOPHILI HENRICI GRENTZII, Bibliopolæ Hannoverani & Hildesiensis.

1686.



JACOBI RICKII JCti Discursus de Proba ut loquuntur Aquæ frigidæ in Examinatione Maleficarum adhibenda.

AQUAE frigidæ probatio (quam circa Maleficarum examen hoc, & superioribus paulò temporibus locorum in Germania magistratus pro reatu illo & exquirendo & detegendo, usurpant) adeò in admirationem traxit multos, ut rei (quam oculis subjectam, præter omnem naturæ ordinem, ac quasi impossibilem factu, fieri tamen revera cernerent) causam ob quam ita fiat, & vim per quam id ita consequatur perspectam ipsis esse avidè expectarent (inanibus quippè rebus non facilè talia signa affigendis) functionis porrò meæ portio illa, quam apud insigne Bonnense oppidum in Electorali ibidem prætorio Scabinali juratus sustineo, me in consimilem admirationis traxit contemplationem.

Dùm itaq; manum admolior, dùm commotum semel animum Dei spiritus dirigeret & doceret, eccè in ipso scribendi opere, tot adsunt dubitandi, decidendiq; rationes, ut unis post alias obiter connotatis & animadversis, consultationem & sermonem conferre cum alijs desuper inciperem. Et dum scientiæ per additamenta fiunt, difficilè autem sit invenire simul & perficere, ideò suasu ac aliorum consilio accedente, præconceptum hunc tumultuarium laborem, quatuor Capitibus distinctum in Dei nomine luci dare placuit, ita quidem, ut definitionem ejus rei mihi nullam, sed humanitùs cognoscendi & disserendi consilium adsumerem, alijs hoc idem perficiendi ac determinandi relinquerent Contentus si facti nostri Scabinalis ratio, ac rata defensio non modò constaret omnibus, sed etiam posteritati toti hoc meo cœpto causam præberem latiùs, & quod maximè conveniat, Theologicè ac mysticè rem hanc pleniùs ac perquisitius aliquando tractandi.

Nam omni semoto dubio antiquus ille serpens (dum ardor chari-

charitatis avitæ ac constantia Christiana olim miraculosè ac sanctissimè celebratus, nunc refrixerit, ac apud plerosq; terrena (non totali cœlestis omnipotentiæ habita recordatione vel respectu) consectantes, extinctus ferè sit.) non desistet persuasionibus, fantasiis & illusionibus suis hominum cogitationes & conatus ita detinire, ita transversum agere ac fascinare, ut in dæmonomania hac contemplanda, compescenda ac eradicanda, non debitum sint momentum ac venerationem daturi divinæ potentiæ ac voluntati, sed arbitrium ac censuram hujus rei penè totam in illum, cujus artes ac stratagemata tractantur, deteguntur ac remediantur, conjectari ac derivaturi. Et hæc præcipua latens admodum ejusdem præstigiatoris una decipula fuit, quod ita circa materiam hanc irretitos habuit ac dementatos mortalium animos mentesq; obnubilatas, ut depressis & non alevatis cordis sui oculis non putârint Deum circa hujus magiæ detectionem ac manifestationem (quam operatur Magistratus) extra illius mali hospitis consortium quicquam cooperare voluisse vel velle, sed vel ad tentationem divinam vel impossibilitatem facti, vel dæmonis pactum vel Canonum interdicta decurrerint. Accipe itaq; Lector benevole, hilari fronte novum hunc nostrum elucubratum laborem ita quidem legendum, ut dum superiorum accesserit (quorum est) censura, legis vim obtineat minimè, sed liberalis exercitii locum vindicet maximè Vale & candide quod candide factum est, interpretator, sin secùs fiat, censeo ego nullum reprehensorem esse formidandum veritatis amatori, quæ peti quidem potest gladio, jugulari non potest.

COM-

COMPENDIOSA CERTISQUE MODIS ASTRICTA DEFENSIO BROBÆ (UT LOQUUNTUR) AQUÆ FRIGIDÆ, QUÆ IN EXAMINATIONE MALEFICARUM PLERIQUE JUDICES HODIE UTUNTUR.

Probatio aqua frigida, qua Judices & Magistratus locorum adversus Magas pro earum culpa vel crimine Magia detegendo in Diocœsi Coloniensi hoc fere tempore sunt usi, à plerisq; Auctoribus qui in eam rem scripserunt, adeò improbatur, ut putent talem probam, vel judicium adhibendum omninò non esse. Quinimò facientes, consentientes, & qui confidunt in eis, in laqueum incidere diaboli, mortaliter peccare, confessionem inde elicitam nullam, sententiam publicatam erroneam, & pariter nullam esse.

CAPUT I.

ADDUCUNTUR ad id variis argumentis: 1
Primò, quod illa proba sit superstitiosa & idolatrica, infidelitatem sapiat, & sit opus diabolicum. Ea ratione, quòd implicitum quoddam pactũ cum dæmone tacitè & ipsa vi facti initum, etiam præter intentionem facientium, contineat. Nam Magos qui fascinant cum sathana pepigisse, ut res contra naturam faciant: pactum enim tale implicitum vel tacitum fit, quotiescunque aliquis contendit facere quid per causas, quæ nec vir-

tute naturali, nec ex divina aut ecclesiastica institutione possunt illud efficere.

2 Secundò, quod Deus per id experimentum videatur tentari: nam dum omninò contra naturalem id sit rerum ordinem, & ab eo judicio profectum, quòd impossibilitatem seu naturæ accusatricem, vel ẽt testimonium naturæ contrarium secum importet, ideò tentationem & quasi in dubium vocationem includere, vel insinuare potestatem illius qui naturæ autor est & magister. Unde Christianos nos Judaisantes signum requirere videri, quemadmodum in novo testamento sæpius fecerunt Pharisæi, Matth. cap 8.

3 Tertiò, quòd hæc tentatio neque in humanis, neq; in divinis literis ullum habeat fundamentum, sed expressis earum sanctionibus sit vetita & abrogata, c. Mennam. c. consuluisti, & c. Monomachiam. 2. q. 5 c. final. de purgat. vulgari, extr.

4 Quartò, quòd quicunque judex per vetita & illicita media etiam pro veritate indaganda procedit, is non modò mortaliter peccat, sed etiam de syndicatu tenetur. Nam præstigias Magorum, & miracula contra naturam habere pro præsumptionibus juris esse inquissimum.

5 Quintò, quòd tales effectus, judiciumque illicitum reddatur ideò, quòd ordinetur ad judicanda occulta, quæ divino judicio saltem reservantur: Nam ut dicitur Jeremiæ cap. 10. A signis cœli nolite metuere quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt, tùm etiam quia hujusmodi indicium nulla sit divina authoritate, vel exemplo sancitum.

6 Sextò, quòd proba vel indicium hoc nullam justam vel sufficientem de sui necessitate causam habeat adjunctam, sicq; temerè & sine recto fundamento præsumptum.

7 Septimò, Joannes Bodinus in libro de dæmonomania Magorum, lib. 4. cap. 4. prope finem (ubi multis antè collectis præ-

ſumptionibus, ex quibus reatum prehenſe vel prehendendæ Maleficæ judici arguere liceat) ſentire videtur hanc aquæ probam illicitam, ac multùm fallacem eſſe, dùm per tale indicium inſinuare diabolum ſe & commutare dicit in ſcholam Magorum, obrepere ac faſcino involvere judices ſentit.

Octavò Petrus Binsfeldius Doctor, Theologus, ac in diocœ- 8
ſi Trevirenſi etiamnum Suffraganeus, qui in ſignem tractatum de Confeſſionibus Maleficarum ac ſagarum edidit, in ſecundo membro ſuæ quæſtionis aliquot concluſionibus præmiſſis, in primo dubio exiſtimat, dæmonem ſua virtute hominem per aëra ferre ac in remotiſſ. loca quaſi in puncto temporis poſſe collocare. Ergò etiam eundem in aquis ſua potentia ſuſtentare, ac elevatum tenere, ne ſubmergatur, poſſe.

Nonò idem Theologus ac Suffraganeus ibidem ita ratioci- 9
natur: ſimilium ſimilis eſt ratio, & ſi in lege proprius caſus non exprimeretur, ad ſimilem expreſſum, ubi eſt identias rationis, confugiendum eſt, ſed probationis aquæ frigidæ eadem eſt ratio, quæ candentis ferri vel aquæ ferventis. Tales autem probationes ſunt perverſæ ac ſuperſtitioſæ, juxta c. fin. extr. de purg. vulgari. & 2. q. 5. c. Mennam, & c. conſulviſti. S. Thom. 2.2. q. 95. art. 8. ad 3. S. Antonius 4. part. tit. 15. cap. 34. §. 2. Joan. de Turre Cremata in d. c. conſulviſti. Panor. in d. c. fin Navar, in manuali confeſſariorum, cap. 11. nu. 39.

Decimò, quòd ſi implicitum pactum etiam præter intentio- 10
nem facientium cum dæmone, tunc haberi dicitur, quando propter factum noſtrum ſuperſtitioſum (hoc eſt tale, quod non per totum neq; omnimodò ac inſolidum, ſed cum quadam addubitatione, & per adminiculantem aliquam, deviantem extraneæ ac minimè approbatæ ceremoniæ cauſam vel uſum in Deum unicum noſtrum eſt defixum & radicatum) is dæmon de uno præconceſſo antecedente, id in conſequens minimè con-

concessum, neq; de intentione hominis inde consequuturum extendit, & suo more interpretatur: multò magis hic idem fieri dicetur, dum neque Deus, neq; boni angeli quicquam quod ad hanc abdicatam, ac semet ab cœlesti patrimonio sponte exhæredantem maleficam attinet, commercij, auxilij, seu gratiæ quicquam ostendere, vel circa eandem manifestare velle videntur: Atq; hoc esse ac existo forte profluere existimo id quod Cancellarius ac Theologiæ facultas in alma Universitate Parisiensi in determinatione publicata die 19. Septembris, Anno 1391. articulo tertio, hisce verbis edixit: Et intendimus esse pactum implicitum in omni observatione superstitiosa, cujus effectus non debet à Deo vel natura rationabiliter expectari.

11 Undecimò, spontanea confessione, facti evidentia, vel testium integræ opinionis approbatione publicata delicta, habito præ oculis timore Dei, commissa sunt Magistratus regimini judicanda: occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. Nam quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum, c. tontulisti. 2. quæstio. 5. c. fin. extr. de purgat.

Tutius ergo, ac in casum non cognitæ rei, & siquidem de causa ad condemnationem vel absolutionem usque ipsi non liqueat, consultiùs esse videtur, si jurejurando sese exoneret judex, secundùm legem. Idem Pomponius §. fin. ff. de recept. arbitr. l. Pomponius. 36. ff. de re judica. Cujus exemplum est apud Gellium Noct. Atticarum lib. 14. cap. 2. vel ut propter ambiguitatem probationum, difficultatem, vel votorum diversos, & sibi ipsis, non eadem sententia constantes sensus judicantium actorum testificationes ad superiorem judicem referant, ejusdemque sacras jussiones expectent, toto tit. ff. de relationibus. l. solet, l. si quid erit, ff. de offic. proconsul. l. eum quem temerè,

re, §. fin.ff.de judic.&C.de judicib.§. fin. Idque ideò, ne conscientiam suam probabili ac vicino peccandi exponat periculo, quòd qui amat, peribit in illo.

Postremum verò & hoc constat, firmissimeque credendum videntur, hanc aquæ probam esse valdè periculosam, maximè adversus eas, quæ innocenter in eis tentantur, & ubi comperta indicia Judices fortè fefellissent. 12

Nam si demus dæmonem de potentia principatus & virtute proprietatis suæ, quam à Deo habet concessam, hominem super aquas elevare, & ne mergatur, detinere posse (cujus tamen contrarium astruere conabimur in resolutione octavi argumenti infra.)

Tùnc & hoc demus necessum erit, quòd hoc habeat antiqui illius hostis invidia, ut quos improborum actuum perpetratione Deo sibi resistente, dejicere non valet, opinionem eorum falsa ad præsens simulando dilaceret, c.habet.2.quæst.4.pro quo ad manus facilè habet mille nocendi artes, ac nomina mille.

Ne itaque huic veterano & præstigiosis diaboli illusionibus patulus detur locus, præstari videbatur, in ambiguis mitiorem partem eligendo, impunitum relinqui facinus nocentis potius, quàm innocentem damnare: ne plus opinio, quàm judicium in judice polleat rationis.

Nam & aliàs constat propter incertitudinem, & summam rerum difficultatem delicta sæpè impunita mansisse, dum non jus, sed probatio deficeret, argum. l. duo sunt Titij, ff. de suspect. tut.

Quinimò & hoc interdum vidimus, constantem viciniæ famam, dum ad veritatis, vel originis sui fontem exploratio & authoritas haberi cœpta est, aut evanuisse prorsus, aut involu-

tam sæpè & contrariam inextricabilemque judicibus extitisse multoties, juxta illud: Fama malum gravius, quàm res trahit. Item & illud Vergilianum.

Fama malum quo non aliud velocius ullum, &c.

13 Duodecimò, admodum huic sententiæ adversatur insigniter in praxi famosus Jureconsultus Matth. de Afflict. in Constit. Neapol. lib. 2. in rubr. 13. de legibus parilibus sublatis, ubi dicit: probationem vel oblationem innocentiæ per tactum ferri igniti, aquæ bullientis, vel submersionis in aqua frigida esse falsam, diabolicam, & ideò reprobatam, non solùm in jure Canonico, uti suprà demonstravimus, sed etiam per dictam constitutionem Regni: *Eorum* (inquit Constitutio) *sensum videndum duximus, qui reum criminis constitutum ob conscientiam læsam, tantum asserunt, ab aqua frigida frigido elementulo non recipi, quem submergi potius aeris competentis retentio non permittit, ubi glo, inquit, submergebantur in aqua frigida tribus vicibus.*

Ubi ideò dicitur probatio parilis, quasi apparabilis, hoc est, quasi in vulgus aliquod innocentiæ vel nocentiæ signum per istud experimentum appareat, hinc etiam nominatur probatio peregrina, extranea, vulgaris, eò quod vulgus illas contra leges tàm divinas quàm humanas ex mera superstitione introduxit, c. consulvisti. 2. quæst. 5. ideò rebrobata, quia per eam tentatur Deus contra naturam, nam naturale est, quod ferrum est lædens carnem. Ideò si dicatur ab inculpato: Ego sum innocens, volo accipere ferrum ignitum, vel stare in aqua bulliente, vel submergi in aqua frigida tribus vicibus, & non me lædet, & si me læsit, sum nocens, &c. quia scriptũ est in lege, Non tentabis dominum Deum tuum. 22. quæstio. 2. c. quæritur. Deuteronom. cap. 6. Hæc enim probatio fuit inventa fabricante diabolo, quia est ludibrium periculosum, & scandolosæ tragœdiæ initium fallax, & sine veritate; quia opera diaboli non sunt cum veritate:

Pro-

Probationes ergò debent fieri secundùm quod jura communia & sanctæ constitutiones ordinant, scilicet per testes aut instrumenta, aut legitimas probationes.

Vnde judex, dicit Afflictus, nullas tales probationes admittere debet, & vide inquit quæ dixi in §. si quis hominem, ubi retuli sententiam fuisse declaratam nullam pro eo quia lata in favorem ejus qui vicit in duello de certis bonis stabilibus.

Tandem verò inter omnes autores qui hanc aquæ Probam improbant, præcipuus & novissimus est Joannes Godelmannus in tractatu suo de Magis, veneficis, & Lamijs, &c. ubi is lib. 3. cap. 5. sed adfert talium vetitatum explorationum ac tentaminum genera. Et licet ad singulas earum specis singula, imò plura adferat exempla, quibus veritas detecta ac reatus emicuit eorum qui fuerunt insimulati, tamen tales explorationes ad unum usque omnes concludendo rejicit ac damnat. 14

PRIMUM genus esse dicit per flammam, Orthodoxus quidam Episcopus, inquit Theodorus lectionum lib. 2. cum Arriano contendens, eam conditionem proposuit, ut verborum aucupijs relictis, ignem ingrederentur & sic ostenderent utra sententia magis pia esset, Arrianus conditionem detrectavit accipere, Sed Orthodoxus ignem ingressus è rogo disputavit, & illæsus servatus est. Abbas Urspergensis: Petrus (inquit) Albanensis Episcopus obijt, iste per indicium ignis immensam pertransiens illæsus pyram, vestimentis etiam per flammam volantibus, sed in nullo læsis, Petrum Florentinum Episcopum declaravit simoniacum: unde & ipse postea Igneus est appellatus.

SECUNDUM genus fit per indicium Crucis, ut in testamento Caroli Magni apud Nauclerum, si causa controversiæ inter partes orta fuerit, quæ hominum testimonio definiri non potest, volumus quod ad declarationem rei dubiæ indicio Crucis

cis DEI voluntas & rerum veritas inquiratur. Et in capitulari: Quod ſi accuſator contendere voluerit de ipſo periurio, ſtent ad crucem, & ſi jurator vicerit, lege ſua accuſator emendetur.

TERTIUM ejuſmodi genus eſt per ſortes, de quibus infrà in capite ſecundo. Eſt & aliarum ſortium genus, de quo ibidem Godelmannus ex legibus Friſionum libro 14.

Genus QVARTVM eſt per corpus Domini, cujuſmodi fuit illud, de quo commemorat Gregorius Turonenſis libro 10. cap. 8. Tu verò, ſi idoneus es, ut adſeris, accede propiùs, & ſume tibi Euchariſtiæ particulam, atque impone ori tuo, erit enim Deus reſpector conſcientiæ tuæ. At ille acceptâ Euchariſtiâ communicans abſceſſit.

QUINTUM explorationis furioſæ genus per ferrum candens vel ignitum introductum, ad exemplum potionis illius quæ ſtupri inſimulatis muliebris exhiberi ſolebat: illa potione ſumpta, ſi mulier rea erat ſtupri, pertranſibant illam aquæ maledictionis, & inflato ventre computreſcebat femur ejus, eratque in exemplum omni populo. Si verò ſtupro polluta non erat, nihil ei potio ſumpta nocebat, ut prolixè Numerorum ca. 5. & in c. in libro 2. quæſt. 4. traditum eſt. Sic mulier nobilis cujuſdam viri, quem Maria conjux Othonis Tertij falsò accuſaverat, quòd ſe de ſtupro ſollicitaſſet, ignitum ferrum in conſpectu omnium illæſa pertulit, Crantius in Saxonia lib. 4. cap. 26.

Sextum genus talis experimenti fit per aquam ferventem vel frigidam, æquè uti ſuperiora omnia, prohibitum & abolitum.

15 Ex quibus omnibus & ſingulis videbatur in hoc ambiguitatis puncto ad illa eſſe potius recurrendum remedia, quæ tradunt Doctores Mallei, in tertia principali, tertio ejuſdem partis membro, ſcilicet qualiter proceſſus maleficialis per debitam ſententiam congruo ſit ſine terminandus in tertio modo ſeu

quæ-

quæstione 22. ubi ratiocinatur de illa malefica, quæ propter infamationem solam, & tàm potentem quæstionibus venit subdenda.

Vbi dicit, quòd si quæstionanda sit varia, non per totum, sed ambiguè in negativis consistens, adsintque indicia, aliquo modo ad quæstionem sufficientia, tùnc per judiciale decretum eandem ad tormenta adjudicandam esse.

Non tamen sit judex multùm voluntarius, inquit, ad quæstionandum aliquam, nam quæstiones & tormenta non inferuntur nisi in defectum aliarum probationum. Et ideò priùs perquirat alias probationes, quas si non invenerit, teneatque probabiliter judex quod delatus sit culpabilis, sed metu negat veritatem, tunc bonis modis, & quandoque cautelosis, adhibitis ejus amicis inducentibus eam ad veritatem, faciat suam diligentiam omnem, ut ab ore ejus habeat veritatem, & negotium non festinet. Nam meditatio frequens, carcerisq; calamitas, ac replicata informatio proborum virorum multum disponat ad veritatem eruendam. 16

Quod si delato convenienter expectato, & tempore congruenter prorogato, ac eodem multipliciter informato, in negatione sua delatus persistat, tunc fide bona Episcopus & Iudex credant, ipsum delatum negare veritatem, ideò quæstionent eam moderatè sine effusio ne sanguinis, scientes quod quæstiones sint fallaces & inefficaces. Nam aliqui sunt ita molles corde & vecordes, ut ad levem torturam concederent omnia quecunque falsa, aliqui autem sunt ita pertinaces, quòd quantumcunque vexarentur, ab eis veritas non haberetur: Aliqui sunt, qui fuerunt aliàs quæstionati, & istorum aliqui melius sustinent quæstiones, quia brachia statim trahuntur & flectuntur, aliqui autem remanent debilio res, & sic minus sustinent quæstiones: aliqui etiam sunt maleficiati, & in quæstionibus utuntur male- 17

ficijs, qui antè morerentur quàm aliquid faterentur, efficiuntur enim quaſi inſenſibiles. Quare in quæſtionibus cum maxima prudentia eſt agendum, & ad conditionem quæſtionandi quam plurimum attendendum.

18 Cum autem lata fuerit ſententia ſuper quæſtione habenda, mox miniſtri ſe diſponant quæſtionandum delatum: interea Iudices, vel alij viri inducant quæſtionandum ad fatendum liberè etiam compromittendo ad conſervationem vitæ, ſi opus ſit.

19 Quod ſi fateri adhuc noluerit, die aſſignata quæſtiones continuentur, & aliis gravibus tormentorum quæſtionibus ſubjiciatur fortiùs vel leviùs ſecundùm majorum culparum gravitatem, ac perſonæ qualitatē. Et poterunt judices (inquit Malleus) multas cautelas licitas adhibere, & in verbis & in factis ut veritas habeatur, quas magis docet experientia, uſus, & negotiorũ

20 varietas, quàm ars alicujus aut doctrina. Ubi autem decenter quæſtionatus & tormentis expoſitus, noluerit detegere veritatē, ampliùs non vexetur, ſed liberè dimittatur. Si verò non perſtiterit in negativis, ſed confeſſione propria veritatem protulerit, culpam agnoſcendo, & ab Eccleſia veniam poſtulando, idque in hæreſi fidei ſeu religionis, tùnc abjuratione ſolenni modo facta, ſatis factionem congruam ad arbitrium Epiſcopi, vel judicis Eccleſiaſtici excipiet, & non tradetur brachio ſeculari, neque ultimo ſupplicio erit feriendus: nec ſi ſit clericus, degradandus erit, ſed eſt ad miſericordiam ad mittendus, juxta c. ad abolendam, §. præſenti, ext. de hæret. ſed abjuratâ primitùs hæreticâ pravitate in perpetuos carceres erit obtrudendus, juxta c. excommunicamus. §. ſi quis. eod. tit.

21 Verum in hac maleficiali hæreſi confeſſus vix vitæ adverſatur, ſed pro apparenti conditione maleficiali aut verè aut fictè vel ſimulatè reſipiſcentis, ac cordialem contritionem facientis,

aut

aut porriguntur eidem ſacramentales gratiæ, aut denegantur; interim omnibus pijs & publicis cohortationibus ad omne bonum, ſpem & confidentiam in Deum per devotos ſacerdotes cohortantur & examinantur, prout habet praxis rerum magiſtra.

Quòd ſi verò vir vel mulier maleficij inſimulati & quæſtionati in negativis perſtent, indicia contra ſe prolata rationabiliter excuſando, negando, contrariasve probationes offerendo: tùnc judex eo in carceribus detento, perquirat ampliùs, & proclamari faciat, ſi in ſimilibus culpoſus vel ſuſpectus fuiſſet, & multa mala de illo dicantur, vel ſi lachrymas non emittat, ſi inſenſibilis ad tormenta appareat, ſi poſt tormenta omnibus vicibus citò reſtituitur, tùnc cautelis & fallacijs erit utendum potiùs, quàm dimittendus; Et ſi quidem omnia defecerint, tùnc militantib. fortiſſimis & violentiſſimis præſumptionibus contra delatum non erit ſtatim dimittendus, ſed per annum ad minùs ſqualoribus carceris mancipandus & cruciandus, ſæpiſſimè etiam examinandus, præcipuè ſacratioribus diebus. Hæc ferè Malleus. Ex quibus evincitur probam aquæ nunquam ferè admittendam, ſed ſecundùm præſcriptum de jure modum ad condemnationem vel abſolutionem procedendum. 22

Introductio in Caput Secundum.

SED nos qui ad Magiæ juſtitiam & examen in terra Colonienſi, præſertim verò in Electorali ſcabinali prætorio Bonnenſi nuper adſedebamus, hanc ſententiam cum ſuis rationibus neque omninò reſpuendam, neque in totum amplexandam fore exiſtimabamus: Nam cum judicantem oporteat cuncta rimari, ac ſingula rerum momenta plena indagatione plenè ac ſollicitè perquirere, nihilque intentatum relinquere, nos & criminis hujus ſumma deteſtabilitate & periculo, quod ex ejuſdem 23

dem impunitate tàm nobis quàm cæteris impendere videbamus, attentis, mediam viam eligendam putabamus.

24 Quocircà & tutiùs, & functioni nostræ convenientiùs fore, ut siquidem contra delatam personam indicia ad præhensionem sufficientia militassent, deinde contra eandem jam incarceratam vehementiores præsumptiones (etiam species facti) insurgerent & accederent, quæ ad torturam communiter sufficientes esse possent; tùnc non quæstioni subjiciebantur statim, sed pro confortatione præcedentium indiciorum, probam aquæ adhibebamus primitùs, non ad convincendum eam per hanc, sed præparandum & muniendum torturæ viam, & momentum faciendum tantò confidentiùs.

25 Accedebat ratio hujus facti nostri & aliera, nam dùm in votorum collationibus indicia (quæ judicibus arbitraria & prudentia potiùs ejusdem expendenda ponderandaque relinquuntur, quàm de jure certo præscribuntur. Iacob. Menochius de Arbitra. judic. quæstionum lib. 2. centu. 3. quæstio. 270. Barb. & alij in l. final. ff. de quæst.) alia alijs leviora, certiora vel infirmiora, minùs magisque ad torturam sufficientia videbantur, hoc tentamen certitudinis quid in hanc vel illam partem illis adjiciebat.

26 Dùm itidem haberemus compertum, sathanam dissuadere, ac omninò sagas suas eò intentionis animare, ne ullis tormentis evicti verum faterentur, qui etiam torturæ sensum illis potens esset adimere interdum, ut ajunt, & illas insensibiles reddere. Ideò ne veritas è tot collatis præsentibus indicijs in majorem Dei & hominum offensam vitium pateretur, statuebamus in adminiculum probam aquæ, & quasi in præparamentum saltem adhibere, quo sic ad quem modum, & quousque torquenda esset, post tanto certiùs dignoscere & discernere possemus.

Extra

Extra enim tot tantaque comperta indicia, nullam 27
aquæ tentamini perſonam ſubjiciendam putabamus, neque enim debet judex cum alterius famæ periculoſo diſpendio temerè vagare, maximè dum expreſſa legis adhuc deſtituebamur admiſſione: cùm fallax & mille artifex ille impoſtor fucum facere, ſeu palpamaobtrudere interdum judicibus magiſtraliter eſſe edoctum probè noſſemus.

Quam ob cauſam pleræque è levioribus indicijs & 28
præſumptionibus comprehenſæ, ubi generali inquiſitione facta, nulla quæ adminicularentur prioribus, indicia ſupervenirent, aut ante aut poſt aquæ probam purgatione Canonica indicta, ac ejuratione ſolenni præmiſſa, per nos dimiſſæ ſunt & reſtitutæ.

Accidit inſuper apud nos, quod tàm viri quàm fœ- 29
minæ videntes cognatos ſuos & nudos & pedibus manibusque ligatos ſuper aquas inſtar plumæ ferri, quantumvis neque arte, neque motu ullo natandi inſtructos, volentes inſuper & ſenſum tactus in ſemet experiri, venia à Magiſtratu obtenta, ac flumini traditi, peneque ad fundum merſi (homines enim & cætera animata pleraque ſenſim & non ilicò ut lapis, vel plumbum ſubſidunt & demerguntur, cum non ſolida, ſed concava & mixta corpora ſint) ipſi cognatorum ſuorum & accuſatores extiterunt ac vindices, & probam illam minùs quàm cætera fallere edixerunt indicia.

Ediversò contigit vetulam quandam ſtipite arundineo 30
nixam (quæ ante complures annos maleficii unà cum marito & ſorore inſimulata, ac comprehenſa, his ſupplicio ab ſumptis: illam, quod & leviora tum contra ſe quam cæteras præſumptiones militarent, pariterque gravida & proxima partui eſſet, in exilium fuerat relegata, ubi contra

identidem geminatum ac ſub pœna Magiſtratus interdictum provinciæ ac habitationi ſuæ veteri ſe intuliſſet) comprehenſam, ac aquæ ad ſubmergendum hoc anno 1594. adjudicatam, carnificique traditam, tanta potentia aquis ſeſe ſæpius, interdum & usque ad humeros videndos extuliſſe, & quaſi ebulliiſſe ſeu profiluiſſe, ut demergente & obtrudente eam ſæpiùs Conto carnifice, ſub aquis vix contineri potuerit, extititque tum multorum ſermo, ipſam, niſi tanta vehementia Conto per carnificem fuiſſet depreſſa, ac in aquis detenta, facili & quidem celeriori negotio quàm homini eſſet poſſibile, enataturam ac evaſuram fuiſſe.

31 Quod nos uti fabuloſum quemadmodum ridebamus, ita mirari ſatis non potuimus, mulierem illam & grandi lapide prægravatam, ligatam, ac uti videbatur coram prætorio ſemimortuam, ſenio ac præſenti terrore viribus propè omnibus deſtitutam, in aquis tantam vim & laborem exercere potuiſſe, planeq; Maleficam ac cremandam, quàm ſubmergendam illam potiùs fuiſſe cenſebamus.

32 Ibi in hujus rei vehementiorem meditationem excitati, dæmonũ maximam quandam vim, in & ſuper aquas eſſe tunc temporis adhuc putabamus, ſed an illa ſit excluſiva (permittentis & non aliter fieri volentis) Dei præſertim in eas Maleficas, quæ in ordinarii jam Magiſtratus manu (qui Dei, non hominum exercet judicium) verſantur. Et quod Deus ludificationes dæmonis tantas & tam potentes in ſagas jam comprehenſas & juſtitiæ ſubjectas, ſeu etiam in ludibrium Magiſtratus permittere & eſſe volet: Item quod tàm perdita, deplorata, ac Sathanica, ut ita dicam, jam apud ſagas aquis traditas vel tradendas exiſtat adhuc vis, intentio, votum ac voluntas (ex quibus pactum hoc proficiſci eſt neceſſe.) quanta tum cùm libertate adhuc gaudebant, id

id admodùm addubitabamus, & jàm propè erat; ut refponderemus quærentibus, quemadmodum refponderunt Malefici Pharaoni, non valentes incantationi quicquam proficere ampliùs, Digitus Dei hic eft. Exod. cap. 7. & 8. Neque enim eft confilium adverfus dominum, &c. Et quis fcrutabitur vias ejus?

Cogitabamus etiam Maleficam (etiam fi enixa fortè 33
voluntate fua in aquis hoc vellet) non potuiffe cum fathana pacifci, ut: vel ne fubmergeretur: nam licet liberam voluntatem (ligato per Magiftratum corpore) homini malefico adimere non debeamus neque poffimus: tamen quod liberam quoad dæmonem per omnia habeat voluntatem & poteftatem cum eodem effectualiter conjunctam, feu etiam quæ & quanta tunc dæmonis poteftas in hoc effe poffit, id rurfus ne determinemus, relinquere libuit adhuc.

Inde nihilominus majori occafione affumpta in varias 34
dubitandi rationes & motus animum cepimus inflectere noftrum, neque folum omnes quofcunque in eam rem fcriptores contigit videre nobis, ftudiosè perlegimus, examinavimus, ac momenta caufarum fingula diligenter expendimus, fed etiam cum doctis ac notis viris interdum confabulamur. Atque verò omnibus perpenfis ac ponderatis in eam refedimus tandem fententiam, ut regulam conftitueremus talem, quam deinde argumentis per nos collatis communitam ac firmatam (rationibus decidendi ad fuprapofitas dubitationes additis) illuftriorem ac magis illuminatam reddidimus: Regula itaque fit hæc.

Judices qui ad Maleficij vel Magiæ crimen examinan- 35
dum dijudicandumque confident (quas ut de re gravi ac humanæ fcrutationis captum & fenfum excedente confultiffi-

tiſſimos, ac varijs rerum experientijs exercitatiſſimos eſſe convenit) indicijs quæ ad torturam de jure ſufficiunt præcedentibus, poſſunt in ſupplementum plenioris & legitimæ probationis, aquæ probationem ſine conſcientiæ læſione ita facere, ut dilucido & ſtrictè lectori mandato ſufficienti intervallo interjecto, apparere ipſis ac omnibus circumſtantibus de natatione vel ſubmerſione delatæ evidenter poſſit, præſtatque hoc intervallum unum eſſe & aliquanto laxius, imò ad ſolius judicis, non etiam carnificis arbitrium diſtinctum, niſi duabus vel tribus vicibus interpolatam eſſe debere, propter ſubmerſionis periculum, vel aliam quamcunque juſtam ob cauſam judex fortè arbitretur.

36 Nam judices circa hanc probam ad lictoris vel carnificis tactum & intentum diligenter debent advertere, quo omnis indiligentia, fucus, fraus, colluſio, vel implicatio abſit.

37 Homo quippe per ſe & de natura ſui non in puncto neque ad momentum dum aquis committitur, ſed tractim ac paulatim ſubſidet, alius alio citius, alius alio tardius. Summa itaque ac ſolerti prudentia arbitrium judicij in hoc puncto aut intendet aut remittet vel moderabitur, ut ſic vel quod naturæ ipſi, vel quod miraculoſo huic indicio naturam ſuperanti ineſt, tuto ac certo perſpicere judex poſſit: præſtatque ante merſionis actum deſuper conſultationes habere judicantes, vel ſolos inter ſe, vel adhibito ſi videbitur carnifice, ipſique dato cum requiſitis certo mandato.

38 Ad hanc verò regulam duo inprimis quàm diligentiſſimè advertenda eſſe cenſemus. Primò, quod quemadmodum tàm diu judex hoc experimentum non debet adhibere, niſi vehementiſſima indicia, & plusquam ad torturam ſufficientia præceſſerint, ut ſic non modo tentationis,

ſed

ſed etiam temeritatis ſuſpicionem effugiat. Ita quando legitimè reus convictus, vel ipſa facti notorietate res luce meridiana clarior effecta eſt, hoc tentamen aquæ ſive frigidæ ſive bullientis adhibendum minimè exiſtimo, c. ſecundo, ext. de probationib. & ibi Canoniſtæ.

Sicut & in hoc crimine propter difficultatem ejus comprobandi ſpeciale eſſe puto hujus aquæ probationis admittendæ, in reliquis canonicæ & ordinariæ purgationes & probationes ſufficiunt. 39

Porrò, licet Panormitanus in c. licet ſententiam, in fin. extr. ne clerici vel monachi, &c. de diverſo modo tradat purgandi per aquam frigidam, ſcilicet quando innocentia ejus qui delatus vel ſuſpectus habebatur, ſi in aquam conjectus ſupernataret, manifeſtabatur: nos tamen in hoc genere morem ſuprapoſitum non relinquimus. 40

Fertur quoque in plerisque regionibus morem illum inoleſcere, ut tam conſtanti fama ſuſpectas ſagas redditas, prout ſuprà demonſtravimus, ad ſtateram vel libram appendant judices, & hoc modo experimentum culpæ faciant, eſſeque teſtatum & compertum multoties, quòd nocentes reæ etiam craſſiſſimæ & corpulentæ mulieres non ultra quindecim aut tredecim pondo attraxerint, &c. 41

Ubi & hoc in uſum vertitur quærendi; an circa illam quæ jam aquis tentata eſt, etiam hoc experimentum liceat exercere bilancis vel bilibris? Finge, inter judicantes non convenire, alijs dicentibus, aquæ adhibitum experimentum indicia circa rem præcedentia confirmare, reatumque ejus jam magis fore, & ad torturam indubitatum, certum, ac ſufficientiſſimum: Alij contra, indiciorum vires per hanc aquæ probam eſſe enervatas, fluxas factas ac incertiores, eò quòd natatio in aqua non certa, non præter neq; 42

contra naturam, neque omninò evidens extiterit, ſed tentatam humanum quid in aquis eſſe paſſam.

43 Quid remedij ad hanc bilancis cenſuram ? an ad aquatilis probæ repetitionem confugere liceat, ſicque in omnem partem cujuſcunque affectui ac addubitationi ſit ſatisfaciendum ? Non facilè repetitionem unius, vel alterius modi cæteri conjudices patientur fieri, niſi pondere ac momentis rationum major pars eodem inclinet quoque: Nam hoc ad inutilem vel ſuperfluam ſcrutationem tentaminis, quàm veritatis indagationem pertinebit potiùs.

CAPUT II.

44 IAM priusquàm in arenam cum illis qui ſupra enumeratas dubitandi duodecim rationes in contrariam partem attulerunt, deſcendo ; ea quæ pro hujus noſtræ Regulæ & facti comperta præexiſtentia, hoc eſt in equatilis probæ defenſionem facere videbantur, depromam.

45 Qua in claſſe cum PRIMIS ſe offert id quòd dici in jure communiter ſolet, probationes omnes judicibus eſſe arbitrarias, ac quidem ſic, ut ille motum animi ſui pro temporum, facti ac perſonarum circunſtantijs, variè poſſit informare. Nam cum probatoria cauſæ, quatenus facti ſunt, ad certas juris regulas conſtringi non poſſint, ita ut quicquid ea in re ſtatuendum ſit, id judicis, ut viri boni committatur arbitrio & diſcretioni.

46 Unde eleganter Hadrianus Imperator (dictante Calliſtrato in l. 3. §. ejuſdem, ff. de teſtib.) *quæ argumenta, inquit, ad quem modum probandæ cuiq; rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis definiri poteſt, ſed ex ſententia animi tui te exiſtimare oportebit, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris.*

47 Sanè quidem, (ut probè Ariſtoteles & Plato docuerunt)

runt) licet paucissima judicis potestati & arbitrio sint tribuenda, quoniam qui legem imperare jubet, is Deum & legem jubet imperare: qui verò hominem; belvam adjungit, cum utriusque cupiditas & ira Magistratus optmos alioquin perveriat: lex autem sit mens affectu & appetentia carens.

Tamen cùm natura novas quotidiè deproperet edere 48
formas, ac rerum in judicijs obvenientium inusitatas sæpè species: rectè factum esse ijdem in philosophia principes magistri censuerunt, dùm prudenti judicis examini & discretioni multa commiserunt & concrediderunt ij qui legum condendarum fuerunt artifices; unde judicem, hoc est, virum bonum, sanctum, castum, pium, integrum, honestique cultorem ac sacerdotem, legis auxilium & supplementum, multi ex jureconsultis vocitarunt, argumento l. continuus, §. cum ita, ff. de verb. obligat. l. vir bonus, ff. jud. solu.

Nam judicio judicis, cuncta vel nihil honorum com- 49
mittere, sed magna parvaque omnia lege determinare impossibile esse iisdem placuit. De quibus singulis videndus est Jacob. Menoch. de Arbitrar. judic. statim ab initio, Thom. Grammat. decis. 34. numer. 45. & seqq. & ibi quos allegat idem Menoch. lib. eod.

Unde dicere in consessu judicandi soleo interdum id 50
quod Iason ex Baldo dixit in l. judices, C. de judic. Judicantes duos debere habere sales, unum scientiæ, ne sint insipidi, alterum conscientiæ, ne fiant diabolici. Et tantùm de primo argumento.

SECUNDUM in ordine defensionis locum obtinet id 51
quod apud nostros communiter dicitur, ad contumaciam & augmentum delictorum, debet crescere & pœnæ & tormen-

mentorum modus, l. relegati, ff. de pœn. quia impunitas delicti incentivum tribuit delinquendi, unde in proposito, quandoquidem per canones non deciditur expreſsè, neque prohibetur quod in inquiſitionibus punitionibusque Maleficarum probam ſeu experimentum aquæ frigidæ aſſumere judicibus non liceat, (nam jura Canonica ſuprà ſcripta non loquuntur in hoc tàm flagitioſo crimine) ideò quæ expreſsè prohibita non ſunt, cur ſtare prohibeantur ? arg. l. necnon. 28. §. quod eis, ff. ex quib. cau. major. in integ. reſt. in verbis, ſed ſi leges non prohibeant.

52 Unde in ſecundo hoc argumento relinqui videtur: quod judex Eccleſiaſticus & quicunque alius, quemadmodum exigente cauſa pœnam novo tormenti genere poteſt exasperare. Ita in hoc tàm occultiſſimo delicto poteſt genera inquirendæ & exuscitandæ veritatis quæcunque, arbitrio planè ſuo, adinvenire & exercere, gloſ. eſt in argum. notabilis in Clemen. ne Romani, in verb. tolli, & ibi Cardin. in prin. in 3. quæſt. de elect. Abb. in c. licet, circa fin. in verſi. aut ſubeſt ſtatutum, ext. de pœn. Felinus in c. quod ſuper his, verſicul. fallit ſeptimò, ext. de majorit. & obedient.

53 Idque ex juſta & momentoſa cauſa, quæ eſt utique, ne tàm deteſtandum & abominabile delictum pertranſeat impunitum, ſed ut alij capiant exemplum, & ceſſent formidine pœnæ, ut dicit text. in l. ſi operis, C. de pœn. l. quicunque. §. quod ſi fecerunt, C. de hæret. l. aut facta, §. fin. l. ſi quis aliquid. 38. §. qui abortionis, ff. de pœn. l. 1. C. ad leg. Juliam repet.

54 TERTIò arguo ſic, Judices quicunque & poſſunt & debent illam irrogare pœnam malefico, quæ magis timetur, & ratione cujus timoris veriſimiliter tàm ipſe quàm

ali

alij (exemplo territi) à delinquendo forent cessaturi, text. in c. quoniam frequenter, in fin. & ibi gloss. in verbo, magis timeri, extr. ut lit. non contest. & gl. in c. de causis, in verb. certo, extr. de off. deleg. Felin. in c. irrefragabili, §. certum, ubi & Abbas, extr. de off. ordin.

Et quoniam hæ stygiæ striges circa duo illa elementa 55
ignis & aquæ veneficia sua & imposturas maximè exercuerunt, unde ad justitiæ lancem traditæ, eadem bina elementa etiam cumprimis verentur, & ut in eo expietur quisque in quo deliquit, rectè divinitùs provisum & mentibus judicum cœlitus inditum esse existimo (quo sic & pœnæ commensurentur delicta) ut per ignem & aquam remediatio ac justificatio hujus hæreseos Maleficialis etiam exequatur, argum. l. sancimus, C. de pœn. l. si fugitivi, C. de seru. fug.

QVARTò defendo sic; tàm puniendi quàm torquen- 56
di à veritatis indagandæ modum, in casu dubio, debent judices omnes sequi illum, qui magis favet publicæ utilitati, Bart. & Doct. in c. 1. in princ. ff. solut. matr. l. 1. §. fin. C. de caduc. tollend. text. in l. hoc modo. 63. ff. de condit. & demonstr. Atque hic stantibus adversis inter se frontibus hostis, illi utique parti victoria per æquos censores tribuetur, quæ tendit ad conservationem publicæ tranquillitatis, ad salutem ac reconcilitationem humani generis, atque proventum omnium terræ nascentium, & sic ad puniendum tàm fœdum & diabolicum delictum, d. l. sancimus. d. l. si operis. potius quam ad ejusdem impunitatem.

QVINTA movens ratio hæc est, quod certum sit & 57
nobis compertum, omnes maleficas probam aquæ maximè vereri & detestari, unde dùm aquis tentatæ, & ipsæ

super aquas fuisse detentas, & vel invitas sese subsidere non potuisse, sunt expertæ, sicque reatum suum publico testimonio testatum fecerunt, speranter præsument Judices illas post in tortura extremam contumaciam seu taciturnitatem ferre vel perseveranter negare veritatem non velle, ut quæ in semet reatum suum alijs ante manifestaverint, sicque præparationem & causam ad confessionem effecerunt.

58 SEXTò probabiliter conabimur hanc aquæ probam astruere sic; Indicia & denunciationes complicum, vel sociorum ferè sunt incertiora. & imbecilliora argumenta hoc experimento, tùm propter ementitas plerunque insontium hominum facies, formas, vestes, mores, ac totam imitationem, quas versutus ille hostis ad fallendum ac sic implicandum quoslibet, etiam ipsos judices interdum adsumit (nam & tota illa actio edendi, bibendi, conversandi, delusoria ipsis maleficis incerto, umbratilis, ac de solo

59 invidiosi illius hostis dependens arbitrio) Tùm etiam quia honoratiores vel majores illi Malefici ferè vultu & forma teguntur in cursibus, in saltationibus, prout hæc ex multorum relatione se didicisse, judicibusque Maleficiarijs indies magis magisque constare asserit Binsfeldius in secunda

60 parte confessionum Maleficarum, in secundo dubio. Ergo per hanc probam aquæ (quæ medium est intellectuale veritatis eliciendæ ex aliqua singulari circumstantia divinitùs insurgens) exteriora illa indicia, aliàs fallibilia ac incerta, certitudinem, justificationem, robur ac verisimilitudinem seu adminiculum aliquod adsumere possunt.

61 SEPTIMò idem Binsfeldius in secundo membro de confessionibus Maleficorum, an fides & quanta confessionibus Maleficorum contra socios & participes criminis hujus sit habenda, ad probationem conclusionis sextæ (quod regu-

regulariter confeſſio duorum vel trium contra aliquem uti criminis participem indicium ſufficiens contra eundem faciat ad torturam) multa adfert argumenta, inter quæ quintum, ſextum, ſeptimum, & octavum in confortationem hujus noſtri propoſiti (licet indirectò) libet adplicare, ac brevitatis cauſa eodem me remittere, ubi in ſeptimo argumento hac paræneſi Judices, Principes, ac Magiſtratus quoslibet alloquitur. Quis igitur tàm inſipiens eſt, inquit, qui legibus concludere velit, quod omnes leges immanitate & atrocitate ſuperat propria ? Eſt ne ullus canon aut lex, aut ſtatutum, quod dæmonem in ſua ſocietate includat ? hic Judices atque poteſtatem habentes, per Deum, communemq́ue ſalutem obſecro, ut leges, jura, rationes, & autoritatem doctiſſimorum virorum intueantur, oculos aperiant & cernant, quomodo Deus immaniſſimis criminibus irritetur, quomodo propter periculum communis ſalutis, in enormibus, ne quidem à proceſſu & inquiſitione & executione in diebus Deo ſingulari ratione conſecratis ceſſandum ſit, quomodo Deus executione juſtitiæ reconcilietur. Facilimè ait lex provinciatum, C. de fer. in hoc ſummi numinis ſperatur venia, per quod multorum ſalus & incolumitas procuratur ? Quomodo ad honorem Dei, juxta d. l. deinceps. crimina punienda ſint, quomodo ſinant crimina impunita coaleſcere, contra l. per omnes, C. de defenſ. civit. quomodo in tàm enormibus & periculoſis, contra communem ſalutem, relictis legibus divinis, naturalibus & poſitivis, dum periculum eſt in mora, juſtitiæ executionem differant, cum multorum ſcandalo, dantes juſtam occaſionem multis temerarijs judicijs, & ſic communicantes graviſſimis peccatis alienis ? quomodo deglutiant camelos, excelantes culices, dum minora &

 mani-

manifesta Lyncæis oculis perlustrent, & talpis sunt cæciores in occultis & atrocissimis ? quomodo festucam videant, & trabem non animadvertunt, dum furta simplicia, homicidia sine proposito perpetrata, aliaque minora cane pejus, & angue persequuntur : crimen verò læsæ majestatis divinæ, apostasiam, tractatus secretos, contra patriæ salutem, & alia immanissima facinora, tanquam fantasias & somnia negligunt. Habeant judices in hoc negotio doctrinam magni Basilij ante oculos : qui veram germanamque justitiam non habet in animo repositam, ac velut ex prævia quadam meditatione reconditam, sed aut pecunijs corrumpitur, aut amicis obsequitur, aut etiam inimicos ulciscitur, aut alienam reformidat potentiam rectè jus dicere, judicia exercere non potest. Hactenus ille.

62 Ubi si sequens octavum argumentum (de majoris gentium maleficis) probè examinaveris & ad limam hujus nostræ probæ comparando adplicaveris, videbis majorem veritatis certitudinem in hoc quàm cæteris illis denunciationibus (quas is ibi defendit) militare.

63 OCTAVò D. Binsfeldius in duodecimo præludio, conclusione octava quarti dubij (ubi agitur de apparitionibus & mirabilibus operationibus circa mortuorum corpora aliquando contingentibus) dicit emanationem sanguinis occisi ad præsentiam occisoris videri soli divino miraculo in hortorem ac vindictam tanti criminis esse tribuendam.

64 Quid ergò irrationabile, & à consequutione eadem alienum fuerit dicere, quod in detestationem maleficialis criminis divina potentia ad probationem aquæ, manifestationem ac retectionem certiorem ejusdem assignatam ac revelatam esse mortalibus voluerit.

Ampliùs, ut hanc nostram veritatis luci propiùs acce-

accedere putaremus ſententiam, hoc uno & quidem NO-NO ut plurimùm movebamur argumento inconvincibilli quidem illo ſi diligenter advertatur.

Inter omnes ferè tàm Theologos quàm Canoniſtas & 65
Juriſconſultos in hanc itum eſt ſententiam, quotidiano itidem experimento comprobatam ſagarum ac maleficarum, vel ipſius etiam dæmonis poteſtatem, ſeu vim nocendi circa illas perſonas eſſe nullam, quæ in officina juſtitiæ adverſus illas vel conſident, vel omninò præſident, adeò etiam, quod eorum actus ac juris dicendi exercitium quoad maleficas omninò non impeditum ac incontaminatum ſit.

Neque dubium eſt (quem ab initio mundi altiſſimus 66
reliquis omnibus terræ creaturis & callidiorem, & potentiorem effecerat, Geneſ. 3. quique indeſinenti inquietudine omnes terræ plagas in noxam omnium velociſſima celeritate perambulat. Job. cap. 1. & 2.) retia ſua in id tendere omnia, quò ſuis amaſijs ac devotis Magiſtratus jam interdicto ſubjectis, quantum quidem poſſit ſubveniat, illosque liberet, aut, ne illius cenſuram incurrant libenter præcaveret & impediret, quemadmodùm ante centum annos, in eadem hac noſtra germania, potioribus tàm Eccleſiaſtici, quàm ſecularis gladij Magiſtratibus, alioqui non malis exiſtentibus firmiter perſuaſerat; nihil ejus mali eſſe, phantaſias & mera diaboli ludibria, illiusque ſolum eſſe factum non hominum, nomen ſine re, ſineque hominis noxa ulla interveniente, ſicque illo tempore aliquodantenùs adeò impuniti fuerant malefici, ut poſt, hæreſi illâ præcognitâ, igne ultore extirpari vix potuerint.

Conſtat itidem inter omnes ſagas & Maleficas ſive 67
jàm vinctus ſive non, quantum quidem ad actum voluntatis ſuæ attinet, omnem Magiſtratum extinctum, ac mille

 morti-

mortibus affectum percupere, dæmonisque executiva imperij & potentiæ suæ voluntas ad id omnibus viribus succurrit, ac subvenire adnititur, sed realitas una exequendi limitata est, & restricta ad omnipotentiam voluntatis & consensus divini: cujus vis & imperium est infinitum ac in omnia quæcunque ubivis locorum sunt, universaliter absolutum, & à nullo alio dependens malo; dæmonis verò & sagatum potestas finita, multùm restricta, ac à sui creatoris consensu dependens.

68 Quare Joannes Bodinus in libro suo de dæmono mania Magorum lib. 3. cap. 4. ubi hanc quæstionem ex professo tractat, arcanum Dei mirabile, & à judicibus optimè recolendum, inquit, ipsos non adversus humanas potestates solùm, sed etiam contra spirituum malignorum vires à Deo protegi. Dicitque idem ibidem, Johannam Heruilleriam famosissimam Magam (quæ anno 1578. ignis sententiam accepit) sine quæstione fassam esse, quòd quo tempore venerit in manus judicum, nihil in ipsam diabolum potuisse, neque ad liberandum ipsam è vinculis, neque ad vitam ipsius conservandam.

69 Si itaque talis, tàm præpotens, prompta ac universalis Dei voluntas circa tuitionem Magistratus (etiam fortè discoli) ad hujus reatus justitiam assidentis versatur; quare non idem planè volet & operabitur Deus circa executionem hujus aquatilis probæ, quæ quasi index est & minister ad hujus Maleficialis hæreseos veritatem retegendam ac agnoscendam, &c.

70 DECIMò, D. Petrus Binsfeldius Doctor, Theologus ac in Diocœsi Trevirensi Suffraganeus ad l. 3. C. de malefic. & mathemat. commentando, ac tria sortium genera exponendo, scilicet divisorium, consultorium, ac divi-

divinatorium, hoc improbando reliqua duo ferè est quod admittat, dicitque ad sortium genera pertinere, si quis aliquid occultum inquirat, sive per protractionem punctorum, sive per considerationem figurarum, quæ proveniunt ex plumbo liquefacto in aquam projecto, sive ex quibusdam schedulis scriptis vel non scriptis in occulto repositis, dùm consideratur, quam quis accipiat, vel etiam in festucis inæqualibus propositis quis majorem vel minorem accipiat vel taxillorum projectione, quis plura puncta projiciat, vel etiam dùm consideratur quid aperienti librum occurrat.

Quando itaque memoratus Theologus duo hæc sorti- 71
um genera divisorium scilicet & consultorium, eatenus admittit, quatenus quatuor quæ ibidem recenset, concurrant, à ratione alienum omninò non esse existimarim, si & hanc aquæ probam, quæ consultoriæ, sorti per omnia consimilis esse videtur, eo quo supra est dictum modo, hoc est, præcedentibus vehementibus indicijs, admitiamus, nam sortes admittuntur in sinum, sed à domino temperantur, ut dicitur proverb. cap. 16. Quando enim humanum non superest auxilium, tùm ad divinum recurrendum adjutorum. PRIMUM ergò requisitum (ut ait Binsfeldius.) est, ut absque necessitate non recurratur ad hasce sortes, aliàs esset tentare Deum. SECUNDUM, ut quis etiam in necessitate absque reverentia sortibus non utatur, ut patet ex c. non exemplo. 26. quæst. 2. in verbis, si qui tamen in necessitate compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu & precibus ad Deum fusis egisse. TERTIUM, ut non pro rebus terrenis, sed pro 72
spiritualibus, & ad salutem pertinentibus, fiat recursus ad sortes, ut habetur ex divo Augustino ad inquisitiones

Janua-

Januurij, epiſtola 119. tomo 2. & 26. quæſt. 2. in c. hi qui de paginis Evangelicis ſortes legunt, etſi optandum ſit, ut id potiùs faciant, quàm ad dæmonia conſulenda concurrant; tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia ſecularia, & ad vitæ hujus vanitatem propter aliam vitam loquentia, oracula divina velle convertere. QUARTUM, ut non fiat in Electionibus Eccleſiaſticis quæ ſpiritus ſancti in ſpiratione fieri debent. Unde dicit Beda cap. 1. in Actibus Apoſtolorum: Matthias ante Pentecoſten ordinatus, ſorte quæritur, quia nondum erat plenitudo ſpiritus ſancti in Eccleſiam diffuſa. Septem autem Diaconi poſtea non ſorte ſed electione diſcipulorum ſunt ordinati: hæc ferè ex Binsfeldio.

73 At verò hic revera ſumus in illis terminis, quibus neque terrenum indicium ad condemnandum, vel abſolvendum ſufficiens ſolum eſſe poteſt, hoc eſt ubi neque confeſſione propria, neque facti evidentia, neque teſtium legitima probatione proceſſus iſte eſt vallatus, neque indicijs quantumvis ſpecialibus & de fama aſſumptis (ut ſi dixerit teſtis ſe illam vidiſſe in choreas ſaltantem, vel alia cum Maleficis facientem, nam cùm diabolus transformare ſe poteſt in Angelum lucis, multò magis idem poterit & valet in ſpeciem hominis probi, ac talis reatus innocentis.) religio judicantis fidem tàm planam ac ſolidam dare poteſt vel debet.

74 Ergò hæc aquæ proba cum debita reverentia aſſumpta, haud minimum eſt præbitura adjumentum lubricis illis in hac re prolatis indicijs & diffamationibus.

75 Ad extremum; ſed UNDECIMò, doctores Mallei Maleficarum, in ſecundo principali ſecundæ partis, ubi de modis tollendi & jurandi maleficia in prima difficultate agunt, ponunt duas contrarias opiniones de tollendis & reme-

remediandis maleficijs ; & dicunt: Scotum de impedimento maleficiali, sive de frigidis & maleficiatis reputare fatuitatem esse, asserere, quod per vana & superstitiosa non debeant maleficia tolli ; dicit enim : nec in hoc est infidelitas aliqua, quia deserviens vel curans non adhibet assensum operibus diaboli, sed credit eum posse & velle defatigari, dùm durat tale signum, quia ex pacto non assistit ad hoc, nisi dùm illud durat. Et sic destructo illius signo non ponet fidem tali vexationi, unde & dicit, quòd est meritorium opera diaboli delere. Et quia loquitur de signis, ponitur ibidem exemplum tale : Sunt quædam mulieres, quæ tali signo notant maleficas, ut si vacca ubertate lactis ex maleficio privetur, tùnc urceum lactis super ignem appendunt, & certis verbis superstitiosis insistendo, urceum cum baculo percutiunt, & licet vasculum vel urceum mulier cum baculo percutiat, tamen omnia illa verbera diabolus ad dorsum maleficæ defert, per quæ diabolus sic cum malefica defatigatur. Facit tamen illa diabolus ut percutientem Catholicam ad pejora alliciat, unde periculosum hoc remedium (nisi esset opinio tanti doctoris) difficultatem non esset habituram ullam.

Subdit idem Malleus ex Hostiensi in ejus summa de frigidis & maleficiatis, quòd quantum ad potentiam coëundi maleficio ademptam recuperandam attinet, recurrendum sit ad consilia Medicorum. Et licet quædam remedia contra hæc scripta vana seu superstitiosa videantur, tamèn cuilibet autori in sua arte esse credendum. 76

Nam & satis tollerare potest Ecclesia retundere vana vanis : hinc Hubertinus in eadem materia inquit, possunt maleficia, aut per orationes, aut per artem, per quam facta sunt destrui, ejusdem sententiæ dicitur esse Godefredus ibidem. 77

78 Consequenter idem Malleus ibidem TRIPLICEM distinctionem remediandi vel curandi maleficia ponens, ita inquit: AUT tollitur maleficium per alium maleficum simul & per aliud maleficium, idque est illicitum & pœnale, tàm ex parte autoris, quàm etiam remedij: AUT verò dissolvitur maleficium non per maleficum, sed aliam personam; sic tamen, quòd superstitiosis remedijs maleficium quod uni personæ aufertur, alteri infertur: AUT tandem quod tertium est remedium, à non malefico, sed quibusdam ceremoniosis superstitionibus practicatur; non tamen in nocumentum alicujus personæ. Et quia tribus istis modis vel expressa, vel tacita intervenit dæmonum invocatio & suffragium, ideò secundum majus vel minus, pœnam mortis merentur omnes. Et hoc est quod dicunt Theologi, quòd potiùs mors foret præeligenda maleficiato, quàm in talia consentire.

79 Alijs verò modis, quando tantum vanum quid, vel solum modò superstitiosum (& non sub aliquo pacto vel symbolo expresso vel tacito ex intentione vel proposito practicantis cum illo malo hospite operatum) intercedit. Canonistæ ferè omnes cum certis Theologis, tenent tales modos esse tolerandos, non tamèn meritorios. Maximè si remedia sacra priùs attentata (ut sunt exorcismi ecclesiæ suffragia sanctorum implorata, aut vera pœnitentia) nihil effecissent. Cùm enim juxta Apostolum, omnia quæ in verbo aut in opere facimus, in nomine domini nostri Jesu Christi facere præcipimur: licet his plerisque modis non insit dæmonis invocatio, fit tamen interdum in ejusmodi ejus nominis expressio: Et iterum licet plerunque non fiat intentio per pactum aliquod expressum vel tacitum talia facere, ut quia fortè dicit, volo hoc facere sive diabolus

intro-

intromittat se sive non; ipsa tamen temeritas quæ divinum timorem postponit, Deum offendit, unde & diabolo potestatem talia faciendi permittit introducendo vel intromittendo se, hi sanè omnes ad pœnitentiam sunt cohortandi, ut potius desistant: hæc ferè ex Malleo frustillatim sumpta sunt.

Quæ singula distinctionum fœdera eo consilio hùc adferre libuit, ut demonstrem, quàm non sit reprobanda vel peccato mortali involenda hæc aquæ probatio, prudenti & necessario suffragio veritatis per ordinarium loci Magistratum in Dei virtute adhibita vel respectivè tolerata. 80

Subministrant & hisce argumentis verba Imperatoris in l. eorum, quæst. 4. C. de malef. & mathem. & cæteris similibus, in §. 1.

Nullis verò criminationibus, inquit, implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut ventis grandinisque lapidatione quaterentur, quibus non cujusquam salus læderetur, sed quorum proficerent actus, ne divina munera & labores hominum sternerentur, vide tamen Binsfeldium in commentario ad hanc legem, quæst. 5. & aliquot conclusionibus subjectis. 81

DUODECIMò infero sic, DUPLEX est ARBITRIUM, quo fungi dicuntur judices & Magistratus in dijudicanda quacunque controversia, PRIMUM arbitrium est liberum & plenum, quod dici potest esse concessionem à lege vel homine factam, qua potest is judex semoto jure, ratione ac æquitate, sed proprio ductus appetitu à dolo tamen alieno, quod placuerit statuere. 82

ALTERUM est regulatum vel astrictum, quod itidem 83

dicitur concessio à lege vel homine facta, qua potest is judex ratione ac æquitate animi sui proferre sententiam, quique nec in alium statuat, quid sibi statui negari possit, in hunc modum utrumque arbitrium definiunt Jacobus Menoch. de Arbitr. jud. quæst. lib. 1. quæstio. 6. per text. & gloss. in l. fidei commissa. 11. §. quanquam. ff. de leg. 3.

84 Cum itaque tantus justitiæ zelator, ac rectorum judiciorum laudator sit Deus, ut eorum sanctas & sacras manus (quamvis sanguinarias) esse dixerit, qui ferro ac armata manu contemptores sui vindicaverunt ac prostraverunt, prout dicitur Exod. cap. 32. occidat unusquisque fratrem suum, & amicum & proximum suum, pro peccato vituli conflatilis.

85 Vix videbitur ullum, vel neglectæ legis, canonis vel temeratæ religionis piaculum pertimescendum esse illi judici, qui proprio ductus appetitu, à dolo tamen alieno ac pleno illo utitur cognoscendæ per hanc probam veritatis arbitrio.

86 His moti causis, censebamus judicem (quem tàm vehementer fortia ac verisimilia etiam ad speciem allata indicia movissent) non malè facere, multò minùs mortaliter peccare, si pro certiori jam aliquodantenùs compertæ veritatis luce, probam hanc aquæ frigidæ adhibeat, multò minùs confessionem postmodum resultantem nullam esse vel irritam.

87 Nam ipsâ didicimus rerum experientiâ judicantes, hoc genus dæmoniorum vix ulla canonica purgatione extingui, seu ad meliorem frugem converti, quinimò eam quæ judicum manus suo stratagemate semel evasit malefica, ac ne tentetur aquis, obtinuit, in pejus ferè abire, ac Mancipium illud multò nequiùs nocentiusque fieri, dùm dæmon illam,

illam, quæ per mendacium periculum justitiæ evasit, ac morem illi gessit, jam in sua arte plus ad nocendum instruat, plus illi concredat, ac superiorem honoris locum attribuat, collaudatione ac acclamationibus in conventibus publicè factis.

Deinde certa juris regula constitit apud omnes, quod quicquid agunt homines, intentio judicat omne, notatur in l. 1. C. de sicarijs, l. 3. ff. de tabul. exhib. & alibi passim, & non debent actus agentium operari quicquam ultra eorum intentionem, adeò quidem ad voluntatem, intentionem ac votum paciscentium verba scripta actusque contrahentium restringuntur, reformantur, ac quasi recuduntur, ut etiam vel abrogare vel impropriare verba propter minùs convenientem intentionem agentium plerunque conveniat usitatumque sit, de quo Stephan. de Phederis in eleganti suo libello de interpret. legum, part. 1. per totum. 88

Et de jure poli peccata omnia adeò libera, adeò voluntaria ex sua natura esse debent, ut nisi libera, & de mera peccantis voluntatis intentione sint profecta, sed aliquam in se, vel sua causa rationem habeant ad noxam, peccata non sint, c. homines, c. beatus Paulus. 22. quæst. 2. versic. gravius. &c. falli enim in his quæ ad fidem non pertinent, aut parvum, aut nullum est peccatum. c. in quibus, ext. eod. 89

Quemadmodum de hoc crimine judicantem dæmonis mille nocendi artes, ac mille pericula rerum etiam imprudentem ac sæpè incautum facilè transversum agere possunt, eidem falsa pro veris plerunque supponere, dum vel imperitia, vel facilitas credendi, vel si implicitas aliquando etiam perversitas ejusdem, quales extra urbes, ruri ac in inferioribus subsellijs judices ferè invenias, mundum destruere, 90

 ac

ac conscientias bonorum in magno sæpè discrimine ponere possent, nisi sub hac fide publica aliquem veritatis succursum vel auxilium eis habere liceat, ut hoc tentamine tuti, ac de se magis certi facti, dæmonis molimina procùl esse addiscant, ac sic porrò in suo officio circa probatoria causæ deinceps tutò pergant. Et hæc sunt quæ ad corroborationem regulæ suprà traditæ ascribere libuit.

CAPUT III.

91 ACIE jàm sic nostrâ ordinatâ pugnam (neutiquam sanè victoriæ assertricem, saltem argumentorum liberam communicatricem) capessemus, ac per adversa hostium castra transeamus: Itaque, quòd primò dicitur, probam hanc pactum continere illicitum & tacitum cum dæmone initum, id existimarim ego ab intentione omnium magistratuum, qui pro ervenda veritatis hac latebra in justitiæ defensionem hoc experimento utuntur, quàm esse remotissimam, nemoque sana ratione id unquam affirmaverit. Quinimò è diverso existimarim hoc tentamine implicitum haberi. & fieri pactum cum Deo omnipotenti, ut is testis adesse volet, per hanc elementaris suæ creaturæ vim & indicaturam: testimoniumque ferat per suam potentiam & scientiam omnium sub sole cordium miraculosum, de reatu vel non hujus delati ac tot indicijs expositi hominis: ut qui potens est mare secare, ac electis suis transitum quasi murum dividendo dare, idemque rursus conjungere, sicque omnipotenter se & miraculosè de omnibus suis inimicis ulcisci. Item qui supertransijt aquas & imperavit eisdem, ut tempestates silerent, pariterque Heliæ Deus Jordanem divisit ac effecit, ut siccis pedibus tàm Helias quàm Heliseus ambo transirent, sicut habetur 4. Reg. ca. 1. & 2. Item qui

qui ferrum ſecuris quòd è manibus in aquam ceciderat, implorante homine Dei Heliſeo filijs Prophetarum hoc idem reſtituit & aquis ſupernatare fecit. de quo lib. 4. Reg. c. 6. ab initio.

Eundem etiam cenſentur invocare judices & Magi- 92
ſtratus locorum, quicunque in retectionem hujus ſymboli. Quam rem ſi rectè ac debito modo exercere volent judices, facient id non minore veneratione ac ſacræ religionis zelo, atque aliam quamcunque rem ſanctam ac myſticam veteres illi Chriſtiani in primitiva Eccleſia exercere ac perſificere ſolebant, quemadmodum ſuprà in 10. ronne probandi de ſortibus & earum generibus diximus. Quo etiam intuitu, 93
ac inprimis officio ſuo (quod ad veritatis functionem unicè ac inſolidum dirigitur perſcrutandam) attento à periculo vel reatu taciti pacti (de quo in 10. ratione dubitandi egimus, atque idem ibidem reſolvimus) omnem Magiſtratum immunem ac alienum eſſe cenſebamus. Satiùs tamèn ac tutiùs foret, equidem non diffiteor ſi ſacerdotes ac alij eccleſiaſtici viri non leves & graves ac compertæ intelligentiæ in hujusce rei communionem advocentur, vel per ſuum ſuperiorem edicto compellantur.

Et ſiquidem adverſus hoc argumentum inſtantiam fe- 94
ceris hoc modo: ergo præſtituitur & præfiguratur hâc aquæ probâ certus modus & ordo, quo volumus hoc à Deo in conteſtationem facinoris hujus præſtari. Id quod æquè ſuperſtitioſum & veritum eſſe videtur, cùm præſumendum & piè credendum potiùs homini ſit Deum ad ſuum nutum ac omnipotentis ſuæ voluntatis arbitrium hanc manifeſtationem, nùnc velle, nùnc non, quam ad ſingulas hoim inſtantias ſeu tentationes hanc probam in ſontes revelare, in inſontes verò aliter declarare velle argumento ſimili in

Evan-

Evangelista cap. 1. & Judith cap. 7. & 8. ubi Christus matri suæ vini deficientis subventionem & auxilium petenti, negativè respondit, atque illam (quamvis pio ac devoto valdè affectu, non modò credentem, sed & de ipsius omnimoda potestate plenè confisam ac certam) inaniter tamèn dimisit.

95 Huic inquam, parata est responsio hæc, quòd quemadmodùm Deus & Natura nihil abundant in superfluo, ita etiam non deficiunt in necessarijs, quare & necessariò fidelibus contra hujusmodi insultus dæmonum diversa sunt data remedia, non modò præservativa, sed etiam curativa, cum aliàs non sufficienter fideli Magistratui à Deo esset provisum, quod dicere absurdissimum foret, & opera diaboli fortiora essent operibus DEI.

96 Unde licet non sit potestas super terram quæ ei non valeat comparari, qui factus est ut neminem timeret, omne sublime videt, ipse est rex super omnes filios superbiæ, dicente Job cap. 41. Tamèn & meritis sanctorum, & judicio ordinarij Magistratus in hac vita nostra ejusdem potestas subjecta esse dicitur. Sanctus enim Augustinus in libello suo de moribus Ecclesiæ sic inquit: Non est Angelus cum inhæremus Deo mente nostra potentior. Nam si potestas virtus est in hoc mundo, toto mundo sublimior est mens Deo inhærens, unde ex talibus dissolvi possunt opera diaboli. Et hoc quantum ad intentionem Magistratus sufficiat respondisse.

97 Si verò de malefica ipsa sentias hoc pactum cum dæmone faciente, id minùs habet vel veri similitudinis, vel præsumptæ veritatis.

Nam quemadmodùm certum est, & supra demonstratum, omnes Magas non subsidere, sed per quadrantis, vel

vel mediæ horæ ſpatium etiam invitas aquis ſupernatare, caputque ac membra deorſum movendo, ac quamvis ſtudiosè fundum petendo nihil proficere tamen. Ita verò utique quàm eſt ſimillimum, quod ſi circa aquam tùnc quando per judices fit tentatio ullam haberet poteſtatem dæmon, vel demergendo, vel ſublevando easdem: illam ſanè vel ex pacto (& quidem potiùs in demerſionem earundem, quo innocentes videri, ac ſic liberari mancipia ſua è vinculis Magiſtratus non ſolùm poſſet, ſed & eadem mancipia per hoc ſibi magis fida, devota ac hominibus nocentiora redderet) vel proprio motu dæmon haberet ac exerceret; & tùnc de dæmonibus eorumque intentione idem planè eſt præſumendum, qui ſibi perſpectum habent & bellè norunt, quod ubi crimina manifeſta impunita maneant, ampliùs Deus offenditur, fides Catholica dehoneſtatur, & ipſarum Magarum numerus ampliùs augmentatur; ſic rationatur Malleus ſed ad aliud propoſitum pluribus in locis. *Nodus diſſolvendus.*

Planè ex hiſce talem concluſionem ut formaremus: 98
ferè reſolvebamus nos, Maleficam qualemcunque quatenus talis ſit, cum amaſio ſuo paciſci effectualiter non poſſe, ut comprehenſa & aquis juſſu Magiſtratus tendanda, ipſe illam demergi, ſeu ſubſidere curet, ſicque aquam in ſe vim ſinat vel exercere naturaliter ſuam.

Quæ concluſio hanc ſecum trahit quæſtionem; an dæ- 99
mon circa probationem aquæ frigidæ impellendo vel agendo in corpus hominis maleficiati, vel in elementum aquæ, vel etiam faſcinando ſeu circumveniendo, judicium vel aliorum aſtantium oculos, ſubmerſionem vel urgere vel impedire poſſit? Hoc eſt, ut clariùs & contractiùs dicam. An iſta aquatilis proba indicium ſit vel præſtigioſum, vel evidenter ſupernaturale per virtutem ſeu potentiam diaboli;

an per Dei voluntatem & ſeu poteſtatem vel prædeſtinationis ejuſdem : hoc eſt, quis proprietatem illam, vel aquæ naturaliter inditam, vel homini inſeparabiliter adjacentem adimat, ſuſpendat, vel ſeparet inſita probatione.

100 Sanè, quod hæc proba magis ſupernaturalis ſit & poteſtativa, operante & volente eo qui omnia poteſt & vult & ſcit, hoc eſt: Deo ter Opt. Max. quàm cujuſque diaboli poteſtate vel artificio hinc demonſtari probabiliter poſſe videtur, quia diabolus quando habet objectum hominis, quicquid ad ejus commodum vel petitionem operatur, id illo eodem objecto, volente, conſentiente, cooperante, vel impellente efficere dicitur.

101 Atque compertum eſt, nullam unquam ſagam volenter hanc aquæ probam adjiſſe, comprobaſſe, laudaſſe, vel ad eam provocaſſe : Et licet aliqua inſolenter ad primam capturam fortè dixerit, vel petierit ut committeretur aquæ, inde innocentiam ſuam probatam iri, id ex temeritate, facilitate, vel inſcitia hujus virtutis quæ ſupranatationi adeſt, potiùs quàm ſeriò ſeu ex ullo pacto fortuito accidiſſe.

102 Quemadmodùm hâc adhùc æſtate in præfectura Linnenſi Diocœſeos inferioris Colonienſis accidiſſe dicitur, quòd vetula quædam, videns duas mulierculas aqua tentatas non ſubſediſſe, ſed ſupernataſſe, ipſa ad Præfectum loci accurrens ac interpellans, eouſque tàm ipſum, quàm cæteros juſtitiæ miniſtros præſentes permovet, volens ac acerrimè inſtans, ut & ipſa aquis tentaretur, ſe licet apud populum ſuſpecta admodùm ſit de hac maleficiali hæreſi, jàm tamen innocentiam ſuam per hoc coram populo teſtatam facere, indignaque hac ſuſpicione publicè ſe eximere velle.

Annuit importunè efflagitanti Præfectus & cæteri, ſed hanc in aquam projectam evidentiùs ſupernataſſe, neque

ut

ut demergeretur vel fundum peteret (quamvis id studiosè suo motu super aquas tentans) efficere ulla ratione potuisse dicitur.

Extracta, ecquid carnifex suorum membrorum ipsa 103
esset interrogatur, potuisse licet insimulatam, hoc effugisse periculum, donèc producto accusatore, necessitas adesset huic tentamini.

Tadèm confluentibus indicijs contra eandem compluribus, ipsa ante torturam quærentibus, respondit, amasium suum sibi suasisse, ut hoc aquæ periculum subiret, se illam liberaturum, & in ipsis aquis famam vitamque ejus adservaturum esse.

Hac confessione sponte prolata, incineranda eadem 104
fuisset, nisi se ipsam in carcere pridiè suspendio suffocasset.

Ecce hac balista mœnia hostium sunt subruta ac dilap- 105
sa, gressus ad hostem patet, cominùs nùnc res est agenda: proinde ad alterum dubium (quo per hoc tentamen Deus ipse tentari, & quasi signum in aqua præter naturam faciendum exquiri ab eo dicebatur, &c. digrediamur.

Sanè si ad ipsas maleficas id referre velimus, illa quan- 106
tum in se est, effectualiter non tentant, sed tentantur, conatus enim earum jàm passionibus subditi experiri in se potiùs, quàm egere quicquam censentur, præsertim quantùm ad illos actus qui ad. Magistratus & judicum directò pertinent officium: maleficæ quippe tùnc vident & sentiunt, quòd in firmatæ sint earum manus, & pedes clausi defecerunt, residuique consumpti sunt. Et jam non sunt ampliùs Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.

Illi enim dij tùnc exurgere, & opitulari illis vel in 107

necessitate protegere illas non potuerunt. Ratio est in promptu, quia provocaverunt in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam, DEUM verum concitaverunt, &c. prout hæc omnia probè ac divinitùs enumerantur, Deuteronomij cap. 32. ubi textus, Videte, inquit, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: Ego occidam, & ego vivere faciam, &c. Demus ergò magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia. Deut. eod.

108 Si verò de Magistratu ipso tentamen, hoc accipiendum censeas, concessero quidem hoc uti licitum atque extremum, maximeque utile veritatis habendæ suffragium, in hocce occultissimo maleficialis hæreseos artificio, idque tantò certiùs ac tutiùs, quantò firmiorem & minimè dubiam fidem seu votum Magistratus ad omnipotentiam divinam in eodem habuerit.

109 Cæterùm verò, tentationes & signorum postulationes à bonis vel malis factæ, quatenus in sacris scripturis licitæ, concessæ & laudatæ, etiam petitionibus locus datus, non intendo (dùm meæ non est professionis) persequi: hoc solum ex divo Augustino in Psalm. 32. addidero: Justus ex fide vivit, inquit, fides tua, justitia tua, quia utique si credis, caves: si autem caves, conaris: & conatum tuum novit Deus, & voluntatem tuam inspicit. Quam etiam humanam, vel defectuosam, quid ad primam apparitionem patientem ac signum requirentem non statim rejicit, neque aspernatur, sed potenter expectat Dominus.

110 Legimus enim Judicum lib. 6. ubi constituisset dominus humiliatum ad se populum suum à Madianitarum devastationibus & bellis eripere, in cujus rei usum Gedeonem frumenta excutientem, ac fugam coram Madiam meditantem, Deus

Deus ſibi uti ducem prævidiſſet, quem ubi Dominus ea de
cauſa per Angelum ſuum interpellaſſet, tandemque ipſe do-
minus ita ad eum locutus fuiſſet: Ego ero tecum, & per- 111
cuties Madiam quaſi virum unum; Gedeon tamen non-
dum ſentiens flammantem ſpiritum, inquit, Si inveni gra-
tiam coram te da mihi ſignum, quòd tu ſis qui loqueris ad
me, quo ſigno per abſumptionem ſacrificij miraculosè da-
ro, videnſque Gedeon quòd eſſet Angelus domini, ait:
Heu mihi domine Deus, qui vidi Angelum domini faciē ad
faciem. Qui inſuper ſpiritu domini jam indutus & confir-
matus adhùc aliud ſignum, tùm in vellere tùm & in ſuper-
ficie terræ mediante rore à domino requiſivit, impetravit-
que. Judic. lib. 6. Ergò non continuò & ſemper iraſcitur
Deus ſignum à ſe requirentibus.

Quinimò illud oblatum & ſuaſum aſpernantibus magis
infenſus videtur dominus, uti colligitur de Achaz rege Ju-
da (Eſaiæ cap. 7.) qui elatus faſtigio ſolij regalis aſtutus
humanæ ſapientiæ verbis ipſi dominu, qui adjecit loqui ad
eum, dicenti: Pete tibi ſignum à domino Deo tuo in pro-
fundum inferni, ſive in excelſum ſuprà, reſpondit: Non
petam ſignum, & non tentabo dominum, &c. Veruntamen
diſſimulat ille poteſtatis excelſæ, ſeu incomprehenſibilis pro-
funditatis ſapientiæ quærere ſignum, & propterea ſignum
bonitatis & charitatis domui David ipſe dominus promit-
tit, ut quos nec poteſtas, nec majeſtas terruit, alliciat ſal-
tèm exhibitio charitatis. Moleſtus eſt ergò non ſolùm homi-
nibus, ſed etiam Deo, quiſquis non majeſtatem recogitat
in timore, nec charitatem cum amore meditatur, propter
hoc, inquit ibidem Eſaias, dabit dominus ipſe vobis ſi-
gnum in quo manifeſtè & majeſtas & charitas innoteſcat:
Ecce virgo concipiet, &c. ſic divus ratiocinatur Bernardus

de adventu domini , & ſex circunſtantijs ejus.

112 Planè in illam fiduciam omnes pios ac veritatem candidè ex officio ſic ſcrutantes Magiſtratus cohortari acriter deſidero, ut non cum ſancto Petro Matth. 14. ca. dubitativè dicant ; Si tu es domine, jube me venire ad te ſuper aquas, ne agitati vento illo valido mergi cum eodem Petro incipiant, ac vocem omnipotentis Dei exaudiant, dicentis : Modicæ fidei quare dubitaſti. &c. Sed magis plenam fiduciam Judith in ſpiritu aſſumentes, memoriale hoc in ejus nominis virtute uſurpent. Virtutem dæmoniacam allidamus, detegamus vel perfincamus, & non ſcrutemur curioſiùs actum ipſum, ſed agentis omn ipotentiam intremebundâ conſtantiâ, Chriſtianoque zelo piè perveneremur ac recolamus, quod ſiquidem nos præſtiterimus, tùnc juxtà voluntatem promiſſionis potens & promptus eſt dominus facere miſericordiam, & manifeſtationem voluntatis noſtræ in omniabundantia.

113 Jàm porrò ad tertium argumentum progrediendo, ac magnum illum Goliath (qui objiciebat ſuis nobis armis prohibitionem tàm divinarum quàm humanarum legum. &c.) funda Davidica proſternendo, reſpondemus nulla expreſſa ſanctione vel humana vel divina iſtud experimentum in hoc genere delicti prohibitum eſſe, cur itaque ſtare prohiberetur id quod prohibitionem nullam habet, d. l. nec non, §. quod eis. ff. ex quibus cauſis major.

114 Cæterùm quantumvis erubeſcimus ſine lege loqui, tamen nil niſi infirmitas eſt intellectus ibi quærere legem, ubi adeſt ratio & neceſſitatis refugium, ut alibi dixit Bald.

Quado itaque Canones, ſententiæ, autoritates & argumenta ſupra in cotrarium allata in hoc flagitioſiſſimo ac dæmone ipſo execrabiliori delicto, minimè ad ſpeciem lo-

loquuntur, ut puto, ſed de levioribus quibusdam culpis & exceſſibus commiſſis, (in quibus propter levitatem & non neceſſitatem tentatio aliqua præſumptuoſa poſſet fortè ſubvereri) utique de mente cæterorum exiſtimaverim eſſe, ſi in extremum neceſſitatis caſum, ac aliter non plenè cognoſcendæ rei Magiſtratus & judices horum maleficiorum hanc aquæ probam veluti ſacram adhibeant anchoram.

Hinc verò & quartum in ordine argumentum confutando regulariter non diffitebimur verum eſſe, indicia omnia & probationes quæ in hanc rem detegendam adhibentur, ſancta, licita, poſſibilia, ac de ſenſu ſeu intellectu communi deprompta eſſe oportere, diſtinctione 4. c. erit autem lex. Cæteroqui in præſtigijs, ejurationibus, ſeu alijs modis contra naturalibus & illicitis agere judicem nihil planè convenit, ne in illud incidat Catonianum: 115

Turpe eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum.

Cæterum & nos experimentum iſtud eo modo ac myſtico intellectu, quo dictamus, ſumptum ſanctiſſimum & minimè illicitum eſſe opinamur. Nam malo nodo malus quærendus eſt cuneus, & clavum clavo pellere, quatenus aliter non poſſis, etiam juſtè liceat, dùm fraudulentum ſuiſmet fraudandi artibus petere & depellere liceat, quemadmodùm mutuò acceptum, ac ſine teſtibus redditum adverſus repetentem idem directò liceat negare mutuò acceptum eſſe aſſerit, Maran. & alij Doctores. 116

Et cùm judex ad aliud nihil inventus ſit, quàm ut veritatem omnibus artibus & perquirat & inveniat. Sanè quidem dùm per legales teſtes hujus rei ad convincendum fides certò haberi non poteſt. Complures autem deſperati, fraudulenti, invidioſi, ſocios habere ſtudentes, aut verò ipſi per impoſtorem ſuum amaſium faſcinati, qui perſonas 117

ſæpè

sæpè aliorum confectatur, ac ementitur : status causæ suspensum non possit non integrum alioquin judicis animũ tenere, in hac inquam rerum perplexitate, quid à fide, quid à possibili, quid à legũ sanctitate ac recto judicio oret alienum, dicere seu tenere hanc aquæ notionem, publicam seu divinam quandam esse degradationem, qua Deus illam, quam per aspersionem sui lavacri baptismatis, fœdore æternitatis, ac consortio cœlestis hierarchiæ sibi adsociavit, ac adoptando devinxit iterum contestatione publica dimittat, ac propter ruptum pactum fidem abrumpat, eam disjungat ac exautoratum esse velit, ac quasi de gradibus ad barathrum dejiciat.

118 Quintum argumentum tendit quasi in scrutationem seu penetrationem divinorum mysteriorum. Quando itaque scrutari divinam majestatem unicuique religioni esse debeat, ideò oppressionem à gloria ac casum de propinquo appetere videri illum, qui divino judicio eminùs reservata, humana intelligentia reserare concupiscit, Deique majestatem attentat.

119 Cæterùm nos non tàm existimabamus de voto vel intentione cujusque Magistratus fuisse unquàm, hujus rei abditam ac divinam saltèm causam hic perscrutari, seu intellectu suo comprehendere velle. Altiora enim te ne quæsieris, inquit Ecclesiastes cap. 3. Verbo quippe suo & signo insimul vult agnosci Deus, ut habetur Exod. c. 20. saltem tantò vehementiori affectu, & venerari, & mirari hoc divinum mysterium (per quod contra omnes tàm sinuosas dæmonis fraudes ac mille per meandros latentissimos astus) desideratissimam rei veritatem hoc simplici ac composito facto Magistratui uti ministro suo ob oculos ponere voluit Dei omnipotentis benigna misericordia.

120 Cæterùm si præterita divinæ omnipotentiæ Majestate hujus

hujus facti vim & potestatem in solum conjiciamus dæmonem, derogare quid ac injustitiam aliquam ei imputare videbimur, qui vindictam gloriæ ac justitiæ suæ nunquàm inultam passus est, qui functioni Magistratus & jus dicentis se affuturum, & veritatem proditurum se repromisit, &c.

Quantò quippe in hoc ima potestatem dæmonum majorem videmus, tantò tenaciùs mediatori Deo est inhærendum, per quem si confidimus, de his imis ad summa conscendimus. Nam si dixerimus etiam nunc contrariam eorum partem, quam defendimus, esse veriorem, hoc experimentum non esse tendandum, illo eodem errorem hunc in cordibus hominum prævoluente, non de erunt qui ejusmodi quædam vel certissimè se audisse, vel etiam expertos esse asseverent. Firmissimè ergò credendum est omnipotentem Deum omnia posse & velle facere, quæ voluerimus sive indicando, sive præstando. Nec dæmon aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam potest, quia & ipse Angelica creatura est, licet proprio sit vitio maligna, nisi quod ipse permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla. 121

Et si dixerit quis hanc probam interdum erroneam, & ferè falsam extitisse: Respondebo id, veritate dicti præsuppositâ, vel imperitia seu fuco lictoris seu carnificis, vel propter minorem judicum seu astantium confidentiam fortè factum esse, vide Matth. 17. Marci 9. & Actorum 19. cap. 122

In sexto argumento impingitur nobis, quod temerè sive causa ac necessitativè hanc aquæ probationem admittamus, quæ eam ob causam tanto improbior sit, quòd citra ullam legis præscriptum fiat exerceaturve, cum alioquin ex causis legem præterire liceat, ideò quod necessitas legem 123

non habeat, imò verò hanc ipſam dubitationem obfirmando atque adaugendo, dixerit fortè aliquis ſic: neque in ipſa neceſſitate tutum fuerit hoc aquæ ſubſidium adhibere. Exemplo Sauli Regis, qui contra præſcriptum à Samuele propheta habitum, ac ante conventos per eos dies holocauſtum domino pacificatorium obtulit tùnc, quando neceſſitate compulſus impetum ad pugnam præparatorum, ac ſibi imminentium Philiſteorum pertimuit, ac ad defendendum ſeſe parare neceſſum habuit.

124 Dixit enim Samuel ad eum, ſtultè feciſti, neque cuſtodijſti mandata domini Dei tui quæ præcepi tibi, quod ſi non feciſſes, jàm nùnc perpetuaſſet dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum, ſed nequaquam regnum tuum ultra conſurget, ut habetur 1. Regum cap. 13. & infra capite 15. eodem. ubi de optimis gregibus ovium & armentorum, veſtibus & arietibus, & cunctis præciſioribus ab hoſtibus acceptis. Saul contra quàm præceptum erat in uſum ſacrificandi ac immolandi reſervaverat, neque diſperdere ea voluerat. Samuel Propheta ex revelatione divina iratus, ita ad Regem Saul inquit, Nunquid vult Deus holocauſta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci domini? Melior eſt enim obedientia, quàm victima. Et auſcultare magis quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere, pro eo ergò quod abjeciſti ſermonem domini, abjecit te dominus quòd non ſis Rex.

125 Quibus verbis evidenter datur intelligi, non modò quod fines mandati divini ſint diligenter cuſtodiendi, ſed etiam quod eorum (quæ ſecundùm proportionem noſtri veroſimili mandantis forent voluntate per æquipollens) nulla ſit extenſio, id quod in humanis legibus ferè ſecùs obtinet.

Sed

Sed hujus dubij prior pars ex præcedentibus & in sequentibus conclusionibus etiam resolvitur, posterior pars Theologorum est, quæ tamen in hoc residere videtur, quod propter summum studium quo populus Israëliticus tùnc ad idololatriam ac gentilium ritus ac ceremonias adeò erat addictus, ut non nisi expiatione victimarum, ac exteriorum satisfactionum ac reconciliationum hostijs victoriam sese reportaturum crederet à Deo, perque talium rituum non necessarium, sed propitiatorium usum magis, quàm per Dei virtutem ac omnipotentiam se vincere existimabant. Quæ incredulitas etiam tùm & in ipso rege Saule residebat. qui dùm providè ac sapienter se fecisse fuit arbitratus, stultitiæ ac incredulitatis est à Deo Propheta insimulatus, qui causam ac DEI voluntatem ad populum meliùs noverat. 126

Septima opinio quam suprà diximus esse Joannis Bodini Andegavensis, minùs nos moratur. Ferè enim est quòd è contra existimemus hanc illam esse scholam in qua liquefactis, retectis, ac pertusis omnibus illis dæmoniacis astutijs ac illusionibus, quibus is potestatem aquæ in se (hominibus falsa pro veris persuadendo) convertit, inconvincibili convictus fundamento. Magistrum suum ejusque antidotum agnoscere, ac Magistratus officium revereri, discipulus potiùs discere, ac locum relinquere, quàm victoriam reportare debeat. Ergo cum eo non tàm paciscitur, quàm is deceptor suismet artibus decipitur, argum. l. qui cum tutoribus, §. qui per fallaciam, ff. de transact. non tàm attrahitur, quàm abstrahitur & abigitur ille malus hospes, &c. 127

Octavò sic ratiocinatur D. Binsfeldius, dæmon per aëra potest Maleficarum corpora celeritate incredibili & sua virtute ad remotissima loca deferre. Ergò valet etiam susten- 128

ſtentare eadem ne ſubmergantur in aquis. Tantò magis cum & mediocris potentiæ vir puerum poſſit tenere ne profundum petat.

129 Ad hoc itaque octavum argumentum (quum paucis reſpondere non poſſim) in initio & fine reſponſionis illationem directò negavero : ſed etſi haud gravatè utramque conceſſero, dæmones (qui triplici pollent acumine poteſtatis ſuæ cæteris omnibus terræ creaturis, ſcilicet ſubtilitate naturæ, experientia temporum, & revelatione ſuperiorum ſpirituum) virtute poteſtatis propriæ & de natura ſui, tàm hominem per aëra corporaliter & revera transvehere, quàm in aquis retinere poſſe ne ſubmergatur. Tùm tamen inprimis & hoc in quæſtionem cadit, an eadem illa poteſtas integra ſit & imminuta ei à DEO conceſſa & relicta in illas maleficas, quæ cenſura Magiſtratus ordinarii jàm ad hac aquæ probam adhibentur & invinculati ſint?

130 Nam dici & tentari poſſet ſic : Quod ſi ſathan permiſſione divina ſaltem eas quæ maleficæ verè ſunt, per aëra poſſet localiter ad remotiſſima incredibili celeritate deferre loca, id videri ipſi in ſingulare privilegium , & ſpeciali jure à Deo datum, propter deteſtabile hoc pactum degenerativum, fœdifragarum maleficarum cum dæmone habitum, ſicque in hoc genere corporum eam ſolum habere poteſtatem à Deo diſpenſativè datam.

131 Sed quia in ſacris ſcripturis compertum eſt , uſuſque docet, quod dæmones hanc corporaliter tranſvehendi, & ſublimandi artem exercent etiam interdum in homines non maleficos, ſed pios ac alioquin bonos viros, item in homines ſanctos, ut D. Antonium, Job & alios. Quinimmò in Salvatorem ipſummet noſtrum in pinnaculum templi Hieroſolymitani ſublimatum, ideò certiore veritatis præſum-

ſumptione tenendum eſſe videtur, dæmones virtute poteſtatis propriæ & de natura ſui hanc transvehendi poteſtatem generaliter & regulariter in omnes homines, imò dixerim penè in omnia terræ animalia habere à Deo conceſſam.

Hujus ſententiæ eæ Lambertus Danæus in ſuo dialo- 132
go quem de veneficis inſcripſit, cap. 4. Dicit enim quod tanta ſit vectoris hujus, hoc eſt ſathanæ celeritas & in agendo vis & poteſtas, nihil enim hunc impedire poteſt eorum (inquit) quæ nobis feſtinantibus obſtant. Neque illi laborioſum aut arduum eſt, currenti aërem diffindere, quemadmodùm nobis. Eſt enim Angelicæ & ſubtiliſſimæ naturæ non autem corporeæ, quia ſpiritus eſt.

Inde fit, quod præ celeritate & pernicitate vectoris 133
hujus quâ & aves ipſas antevertere dicitur, maleficæ quando per aëra feruntur, defatigatas ſe & confectas quaſi ex labore conqueruntur. Id fit propter denſitatem aëris, & corpoream hominis ſubſtantiam.

Dæmones ergò præſtantiâ intellectus ſui conditiones 134
& naturales hominum impreſſiones ex influentiis corporum cæleſtium in illis prædominantes agnoſcunt. Unde & eliciunt aliquos eſſe magis diſpoſitos ac maleficia exequenda, quàm alios, quos etiam præ cæteris ad hujusmodi exequenda infeſtant.

Proprietates quippè dæmonum à Theologis aſſigna- 135
tæ, referente Malleo in 3. quæſtione primæ partis multæ referuntur. Quòd ſint ſpiritus impuri, licet non immundi ex ſui natura, quia in illis ſecùndum Dionyſium ineſt furor naturalis, amens concupiſcentiâ, phantaſiâ, protervià, quod ad peccata eorum ſpiritualia ſuperbiam, invidiam, & iram. Unde ſunt genere animalia humani generis inimici, mente rationales, abſque tamen diſcurſu intelligentes, corpore

 aëri

aëri, tempore æterni, in nequitia ſubtiles, nocendi cupidi, ſemper in fraude novi, immutant ſenſus, inquinant affectus, vigilantes turbant, dormientes per ſomnia inquietant, morbos inferunt, tempeſtates concitant, in lucis Angelos ſe transformant, ſemper infernum ſecum portant, erga maleficas divinum cultur ſibi uſurpant, magicæ artes per eos fiunt, ſuper bonos dominari appetunt, & ampliùs pro poſſe infeſtant, electis ad exercitium dantur, ſemper fini hominis inſidiantur.

136 Unde dicitur in Job cap. 41. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei valeat comparari, qui factus eſt ut neminem timeret, omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ubi gloſſa: licet neminem timeret, meritis tamen ſanctorum ſubjacet, in quibus omnibus hoc pro certiſſimo eſt habendum, ſathanam non niſi & per cauſas & per modum naturalem efficere quicquam poſſe. Nam quicquid ille, vel ipſe per ſe, vel per ſuos & Magos & ſortiarios facit aut omninò mera animi oculorumve illuſio, aut verus cauſarum tantum naturalium effectus eſt, aliud enim aut potentiùs agere nihil quicquam poteſt.

137 Unde licet multa mira, miraculoſaque, & incredibilia opera (proprer ſcientiæ præſtantiam, qua omnes homines anteit) efficere poſſit, ipſa enim poteſtas, quæ illud efficit, in uno Deo reſidet, penes enim unum eſt, nec in creaturam ullamunquam transportatur, quia ut eſt apud Iſaiam, gloriam ſuam ſibique propriam nunquam dat alteri Deus, qui ſolus eſt proprietatum & virium quæ rebus inſunt, autor & creator. Solius ergo Dei eſt uti condere & creare. Ita quoque abolere ac evertere, ſeu proprietates & vires rerum adimere, id quod dæmon nullo modo poteſt.

138 Adeò quidem quod & boni Angeli, Apoſtoli, Prophe-

tæ,

tæ, & fideles homines in edendis miraculis, quæ fecisse dicuntur, Dei tantùm instrumenta, & ea quidem merè passiva, non autem activa, ut vocant, extiterunt, ut probatur authoritate sancti Petri Apostoli, Actorum 3.

Nec sequitur tamen, quod si in miraculis Deus est u- 139
sus illis suis servis, sathana quoque utatur, & per eum miracula fieri velit. Non vult enim Deus, idque justè, gloriam suam diabolis & sathanæ communicare ea mensura, qua Angelis beatis & sanctis hominibus confert: id quod vel ex eo satis constat, quod Moyses & Aaron servi Dei fecerunt vera miracula, quæ tamen Pharaonis Magi, quanquam exercitati in sathanicis artibus, discipuli & præstantissimi ipsius ministri efficere non potuerunt, agnoveruntque ipsius solius Dei digito præstari, & omnem vim naturæ longè superare, ut est scriptum Exod. cap. 8.

Nam Christus ipsemet sathanæ immodico tentatori dixit: vade sathana, scriptum est enim, dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, Matth. cap. 4. Atque hujus rei inter sathanam & veros Dei servos discriminisque diversique Dei consilij, hæc ratio est, quod sathan in edendis miraculis non spectaturus sit Dei gloriam, at boni Angeli & sancti viri eodem saltem respiciunt.

Itaque miraculorum Dei instrumenta sæpè hi sunt, iste 140
autem nunquam. Et quanquam illud verum est, sathanam nihil omninò posse, nisi quantum, & quando, & in quibus rebus Deus ipse illi concedit: tamen rerum ordinem à Deo constitutum, proprietatesque rerum neque evertere, neque mutare potest.

Neque tanta illi potestas à Deo tribuitur, neque etiam 141
ut per alias artes quam naturales operari valeat, & si sæpè qui-

quidem nobis ignotas. Deinde etiam quas ea celeritate impellit, ut totum ipse opus miraculum esse videatur.

Citò enim colligit ea media, easque causas quibus agit, verbi gratia, statim nubes congregat, unde emittit pluviam, confestim cogit & spissat aërem, ut ex eo densatum quoddam visibile corpus & spectrum nobis objiciat, venena momento miscet unde lædat, continuò ea repræsentat & fugat, quæ petuntur, postulanturque ab eo, præterea ita celeriter hæc omnia efficit, ut mira & incredibilis nobis sit istarum rerum celeritas, quæ tamen singulæ per causas naturales in ipso præexistentes fiunt ac perficiuntur, ita pro sententia nostra disserit Lambertus Danæus in suo dialogo de Veneficis, cap. 4. prope finem, confirmatque conclusionem & quæstionem nostram supra ad primam decidendi rationem allatam.

142 Porrò de summa dæmonis impotentia, & quod is neque miracula ulla realiter facere, neque promissa qualiacunque illa hominibus fecerit, vel illi ab eo sponte expectent, adimplere possit, sed delusionibus paupertate mera ac vana spe eos inebriet & circumveniat, præterquam quod sacra pagina ac experientia rerum, affatim testis sit, luculenter etiam demonstrat Hieremias Propheta in Epistola quam misit ad abductos & captivos Judæos per Regem Nabuchodonosor in Babylonem, ubi inquit, &c. Unde ergò notum est, quia non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum opus Dei in ipsis est? Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt, judicium non discernent, neque regiones liberabunt ab injuria, quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cœli & terræ. Et cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum & argenteorum & aureorum, sacerdotes quidem eorum fugient & libe-

liberabuntur, ipsi verò sicut trabes in medio comburentur, Regi autem & bello non resistent, quomodo ergò æstimandum est aut recipiendum, quia dij sunt ? Non a furibus neque latronibus se liberabunt dij lignei & lapidei & inaurati & inargentati, quibus iniqui fortiores sunt.

Hæc dæmonis simulatissima vel dissimulatissima potentia vel impotentia per Gedeonem comprobatur, Judic. cap. 6. qui ad necem & ultionem se (propter destructam aram Baal & succisum ejus nemus) vocantibus respondit: Nunquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo ? qui adversarius ejus est moriatur antequam lux crastina veniat. Si Deus est vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. Ex illo die nominatus est Gedeon Hierobaal. 143

Ampliùs verò & hoc præmittendum est, bonorum Angelorum in malos aliquod esse imperium & regimen, prout & inter ipsos mutuam prælationem. Unde dicitur, quod quàm diu durat mundus, angeli angelis, homines hominibus, dæmones dæmonibus præsunt. Rursusque D. Augustinus, spiritus vitæ desertor atque peccator regitur per spiritum vitæ rationabilem, pium & justum. Et sicut illæ creaturæ super alias influentiam habent, quæ sunt perfectiores & Deo propinquiores, ideò quod totus ordo prælationis primo & originaliter est in Deo, & participant à creaturis, secundum quod ei magis propinquant, ideò etiam boni Angeli qui maximè propinquant Deo propter ejus fruitionem qua dæmones carent, super ipsos dæmones habent prælationem, & per eos reguntur. 144

Et si instes sic, quod dæmones præmissis medijs multa faciant mala, aut ergò non impediuntur, quia non subsunt, bonis Angelis, qui eos impedire possent. Aut si subsunt, tùnc enim ad negligentiam præsidentis pertinere viden- 145

videntur, ea quæ per subditos malefiunt, dicendum videbatur, quod in Angelis bonis sit aliqua culpa hujus mali in homines redundantis.

146 Respondetur, quod sancti Angeli sint ministri divinæ sapientiæ, quæ quemadmodum permittit aliqua mala fieri (juxta illud: Posui juxta te aquam & ignem bonum & malum, id quod volueris apprehende. Genes. 3.) per malos Angelos. Ita & boni Angeli non totaliter cohibent malos à nocendo, sive homines, sive dæmones.

147 Deinde & hoc Catholicum est asserere quendam ordinem actionum interiorum & exteriorum, etiam per quandam prælationem esse in dæmonibus. Unde & quædam spurcitiæ à quibusdam infimis perpetrantur, à quibus superiores propter nobilitatem naturæ secluduntur. 2. distin 2.

148 His per modum digressionis evidentialium loco præmissis (incumbimus quippè adhùc in octavi argumenti resolutionem) concessaque principibus tenebrarum tentâ vi & præpollentiâ, quanta ullæ sublunaris hujus mundi creaturæ intellectus, scientiæ ac potentiæ multa foret attribuendum; piaculum tamen adhuc existimaverim credere, Deum hanc illi potestatem (tunc quando ad finem veritatis habendæ pro certiori fide Magistratus in hoc occultissimo, ac mille impositionibus obnoxio crimine adlaborat) nihil esse imminutum velle.

149 Cæterùm verò, hanc imminutionem vel potiùs naturalem dæmonis in elemento aquæ impotentiam ut doceremus; sicque istam inductionem D. Binsfeldio inoffensam non daremus, ita ex collatione infra scripta movebamur.

Diabolus est spiritus qui ex densitate aërea certam modò hanc, modò illam reddit vel formam, vel speciem.

150 Atque faciliùs operatur unumquodque corpus in natu-

natura sibi simili quàm dissimili: sed dæmona à natura aquæ longè est dissimilis: ergò operatio dæmonis naturaliter potiùs frangitur in aqua, quàm sustentatur vel cooperatur. Hoc idem probatur ex virtute uniuscujusque elementi sic inferendo:

Quodlibet elementum ut elementum habet peculiarem 151
& sibi appropriatam virtutem creatam, qua ratione ad defendendum semetipsum contrario se elemento opponit, vimque suam exercet: At diabolus est ex elemento aëris compactus, ergò contrarius elemento aquæ, sicque faciliùs & de natura sui expeditiùs operatur in aëre quàm in aqua: hæc ex collatione D. Huberti Bleissemij, &c. decima sexta die Novembris, Anno M. D. XCIV.

Planè dùm penitiùs dispiciendo, ac cum alijs perqui- 152
rendo tàm sacras literas, quàm alias probatas historias percurrimus, constare videtur, quod dæmon in ullum mortalem hominem sive bonum sive malum ad submergendum funditùs, vel super aquis tenendum vel supervehendum eundem invitum potestatem seu exercitium suum nunquàm habuit. Quamvis quem canem, hoc est dæmonem, Cornelius Agrippa juxta secum vivus habuit, ille moriente hoc, Arari fluvio seipsum submerserit. Ergò vel de latenti, & valdè mysticâ divinâ voluntate, vel de natura dæmonis exilis, aut planè nulla ejusdem est in hoc elementum potestas in invitum hominem, quod tamen sub dubio relinquimus.

Illud planè ex vitis sanctorum Martyrum est comper- 153
tum, quòd quemadmodùm, Ethnici illi Tyranni & Cæsares, eorumque causarum capitalium præfecti circa tormenta & mortem Christianis illatam id summo sibi studio habuerunt, ut adeò memoriam & omne pietatis vestigium

mentibus & oculis Christianorum funditùs eradi carent, quò ne cineres suffocatorum superesse possent martyrum.

Quocircà, neque gladio, neque igne, sed cumprimis aqua in mari illos absumere tentârunt.

154 Ita è diverso zelosi illi & occulti ejusdem temporis Cristiani dominum Deum sedulò exorârunt, ut tali mortis genere suos martyres & fidei testes affici sineret, ex quo ipsis de corpore membris, vel cinere saltèm eorum pia emulandi recordatio uti præmonstratrix superesse posset imitatione.

155 Quos Deus ita quidem exaudivit, ut ex historiis constat, non modò non esse multos martyres mari absumptos vel suffocatos, sed etiam penè omnes aquis ad submergendum traditos supernatasse, vixque vi ullâ mari interjisse, sed miraculosè retentos, tandèm gladio mediante coronam gaudii in perpetuum accepisse, idque secundùm Esaiæ Prophetæ dictum cap. 43. Cùm transieris per aquas, inquit, tecum ero, & flamma non operiet te. Cùm ambulaveris in igne non combueris, & flamma non ardebit in te, quia ego dominus Deus tuus sanctus Israël salvator tuus, &c.

Ecce ut elementis suis officium proprietatis ipsis datum adimit vel invertit ad manifestationem veritatis omnipotens Deus.

Pro cujus rei corroboratione, tùm & generalis adsertionis nostræ sanctissima intentione combrobanda sufficiat D. Bernardi super Cantica Canticorum cap. 66. prope finem, hoc unum & miraculosum & apud veterem Ecclesiam in more positum factum. Plerumque fideles injectis manibus, inquit sanctissimus vir, aliquos ex eis (intellige hæreticis, vel de hypocrisi suspectis) ad medium traxerunt, quæsiti fidem, cùm, de quibus suspecti videbantur, omnia

pror-

prorsus suo more negarent, examinati judicio aquæ mendaces inventi sunt. Cumque jàm negare non possent, quippè deprehensi, aquâ eos non recipiente, arrepto, ut dicitur, freno dentibus, tàm miserè quàm liberè impietatem non confessi, sed professi sunt, palàm pietatem & pro ea mortem subire parati, nec minùs parati inferre, qui astabant, itaque irruens in eos populus, novos hæreticis suæ ipsorum perfidiæ martyres dedit: Hæc ille.

Nonò non multùm movebamur de identitate ac consimilitudine rationis, quam ad improbandam hanc aquæ frigidæ in flumine vel palude purgationem, idem Theologus Binsfeldius adferebat, autoritateve ex proba candentis ferri vel aquæ bullientis ibidem reprobata, quia istas purgationes antiquitùs, non ex decreto vel imperio Magistratuum seu Judicum injunctas, sed exipsarum partium rearum suspectarum seu delatarum oblationibus, ac paratò, in levioribus scilicet delictis seu excessibus, usitatas fuisse comperimus. 156

Ita enim scribit Didacus Covarruvias variarum resolutionum libro 4. capite 23. de purgatione vulgari, quæ fit candenti ferro: Qui fidem sibi jurantibus haberi aliqua de re gravi postulàrunt, inquit, consuevissent ignitum ferrum manibus tollere, & super ignem ambulare, putabant enim minimè dolorem aliquem sensurum eo experimento, qui veritatem dixisset, eratque certæ fidei & innocentiæ signum maximum ab eo periculo illæsum quenquam evadere. Unde parati erant & candens ferrum in manibus tollere, & per ignem serpere, Deosque jurare, nec fecisse nec fuisse conscios, quemadmodùm de uxore Imperatoris Henrici condicti sancti referunt historiæ, quæ in testimonium non 157

violati thori conjugalis, candens ferrum manibus suis inoffensè portavit, & sustinuit ultrò.

158 Et licet in contrariam hujus resolutionis partem ipsorum Canonum suprà in rationibus dubitandi citatorum verba afferantur ex dicto can. final. de purgat. vulgari. ibi, eos judicium candentis ferri subire compellant, & ex dicto canone, Mennam. ibi, nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, &c.

Ex quibus verbis evincitur reos suspectos non assumpsisse in se ultrò hanc probam vel obtulisse, sed de jussu judicum ipsis injunctam seu imperatam, atque utrunque modum hic esse prohibitum.

159 Tamen adhùc diversitatis rationem inter hanc aquæ probam & candentis ferri docemus ex iis quæ tradit Malleus Maleficarum in suo tractatu tertiæ partis secundæ principalis de modo terminandi processum per debitam sententiam, quæst. 18. de modo purga, vulgaris, & præcipuè super examen candentis ferri, ad quod maleficæ plerunque appellant.

160 Nam dicit tibi miraculum non esse, licet mortalibus possit videri, si opera dæmonum à læsionibus in examine tali (scilicet proba candentis ferri) maleficæ præserventur illæsæ. Cùm & naturales succus cujusdam herbæ ita sunt efficaces, ut ubi manus illis inungitur, tàm à combustione possint præservari, cùm & ipsum dæmonem virtutes herbarum minimè lateant non modò, sed & eisdem cæterorumque medicinalium remediis omnium multò meliùs ac virtuosiùs quàm quisquam uti possit. Est enim nequam ille medicus perspicacissimus, Phisicus absolutissimus, mathematicus intelligentissimus, ac Theologus scientissimus.

161 Dato etiam, quòd per interpositionem alicujus corporis inter

inter manus deferentis, & ipsum ferrum pernicitate sua læsionem non interciperet, pro invisibli suo artificio id procurare posset : tamen per ejusmodi naturales rerum proprietates hoc efficere posset. Unde minùs quàm quicunque alii malefactores, ipsæ maleficæ propter intimam familiaritatem quam cum dæmonibus habent tali examine sunt purgandæ ; sed ipso facto, ubi ad hoc appellant, jàm ut suspectæ sunt habendæ, hactenus ferè Malleus.

Idem autor eodem multò vehementiùs improbat Monomachiam olim usitatam, jàm verò, per torum abolitam 162
ea ratione; quòd minor sit læsio per candens ferum, quàm vitæ interfectio per singulare certamen, ideò in locis ubi hoc duellum admittitur, si consuetudo id habeat, (de qua nùnc disputare non attinet) à fortiori examen candentis ferri dicit admittendum esse:

Addens, judicibus in primis ad probam duelli esse 163
admittendum ; quia in eo datur potestas, vel saltèm conceditur licentia utrinque interficiendi se mutuò, & cùm alter eorum sit innocens ; ideò dicit per judicem præstari autoritatem vel saltèm licentiam interficiendi innocentem, quod cùm simpliciter sit illicitum, quia contra dictamen juris naturalis & divini, ideò omninò non non tentandum, neque ex parte Appellantis neque incipientis, multò minùs ex parte judicantium vel consulentium, quia dicit omnes pro homicidis reputandos.

Planè in eo casu, quo non ad requisitionem, consilium 164
vel mandatum judicum, sed de spontanea utriusque partis hincindè oblata voluntate inter Appellantem & recipientem tale duellum exerceatur. Ibi judicantes, uti solos spectatores vel ultroneæ eæ executionis administros, absque

morta-

mortali peccato esse posse sentit, siquidem in hoc ipsi domini suorum membrorum & vitæ vindices esse volent.

165 Sanè quidem, ubi aliis remediis justum judicium vel terminationem litis judices habere possunt, hanc tentationem Monomachiæ vel aquæ bullientis ad epotandum, seu ferri candentis ad apprehendendum minimè admittere debebunt. Nam si hoc faciant, permittant, vel consulant, utique ad interfectionem innocentis consentire videbuntur.

166 Cæterùm verò, quod ad singulare & divinum exemplum Davidis cum Philistæo Goliath attinet, quod habetur 1. Reg. cap. 17. quasi ibi licitum fuerit duelium. Respondetur enim quod revelatum fuerat Davidi à domino interiori instinctu ac fiducia quod tale certamen inire debet, & quod injuriam sibi illatam per eum vindicare vellet, quod ex verbis Davidis elicitur: Ego venio contra te, inquit, in nomine Dei viventis, &c. & sic non fuit propriè duellator, sed divinæ justitiæ prædestinatus executor.

167 Hic si quis iterum subjungat: Ergò eâdem ratione ac in eisdem terminis, quibus tu aquæ frigidæ probam contra maleficas esse assumendam concludis, in eadem hypothesi & candenti ferro, vel aqua bullienti ad epotandum licebit uti ad indicium contra easdem faciendum.

168 Sanè hic ego non solùm, dùm responsum meditor; sed etiam per totius hujus unicæ materiæ tractatum comperio; quàm sit cautè ac prudenter scriptori agendum, non solùm quoad suæ ipsius salutis, sed etiam quoad omnium aliorum (quibus hæc in manus fortè venient, vel qui ad eadem judicia & censuras collimare sua volent) curam & solicitudinem.

169 Suadendum tamen aliam quam hanc aquæ frigidæ pro-

probam minimè existimaverim, tùm propter supradicta, tùm etiam quod in epotanda aqua bullienti alia & quidem longè diversissima est experiendi ratio, vis & indicatura, quam discreto Lectori vel judici potiùs expendendam, quàm mihi scribendam relinquere velim.

Tùm & eam maximè ob causam, quòd hæc aquæ pro- 170
ba (quando ad arbitramentum judicum censorum certo vel certis adsumitur intervallis & mora evidenti) experimento sui multis sit in provinciis practicata, ut tàm doctos quàm indoctos multos, qui eandem viderunt, vel invitos eam quasi adprobasse sæpiùs audiverim: ut jam alium in ejusdem surrogare locum potiùs videatur tentare, & majestatem divinam scrupulari aliqua diffidentiæ scintilla adminiculante, quàm gloriam ejusdem in eo quod jàm usu est receptum, collaudare.

Conclusivè in ea etiamnum persto sententia, quòd exi- 171
stimem, in hoc aquæ elemento majorem ad explorationem veritatis esse & virtutem & ceritudinem quam cæteris: tùm propter exorcismos ac sancta salutariaque verba quæ in fœdere & regeneratione baptismatis mediante hoc elemento creatoris ad creaturam suam habentur ac adoptantur, tùm etiam quod diabolo in hoc, quàm in cæteris minor detur ludendi ac imponendi potestas & authoritas, id quod suprà est demonstratum latiùs.

Id quod consequenter in decimo argumento de exten- 172
siva hujus pacti interpretatione est dictum: ut quando in perquisitione rei occultæ ad positionem alicujus antecedentis quod optamus, facere cupimus, vel fieri petimus; dæmon (permissione divina accedente, ut qui meliùs per se secretam hominis intentionem minùs magisve depravatam ac à se degenerantem novit) consequentiam aliquam,

quam intendimus, neque volumus, quasi necessitativè subinfert ac includit, arg. 26. q. 4. c. igitur, ead. quæst. 1. c. nec mirum: de quo genere multa congessit Binsfeldius in suo commentario in tit. C. de Malef. & mathem. ad rubr. in nono notabili.

173 Ad hoc argumentum existimamus respondendum: Aliud quidem & longè esse diversum inter Magistratum justitiæ officiatum experimento rei alicujus occultæ indagandæ causa hac in parte vel ista scientia divinativa & judiciaria utentem, idque meræ veritatis & conscientiæ suæ tuendæ ergò, stante fide ac certa perfectaque intentione in Deum neutiquam dimota: & privatos alios quoscunque qui tàm occultis ac divinatoriis mediis ad aliquid perscrutandum utuntur.

174 Hi enim præter præmaturam, lubricam, diffluentem ac verè inconsultam temeritatem vel curiositatem nullam rectæ rationis causam prætendere possunt. Ergò intentione illorum depravata, ac auxilium seu consilium aliundè quàm à Deo directò quærentium attenta: implicitè retibus illius præstigiatoris illaqueantur, ac tali consensu qui à fide in baptismo dato illos deflectere redarguit ac manifestat, permissione divina involvuntur, quicquid enim ex fide non est, peccatum est, sacrilegium est, hinc mors, hinc mille pericula rerum.

175 Quemadmodùm ferè videmus illos qui temerario ac non necessario scrutandi ausu hisce ceremoniosis divinationibus ac constellationibus seu notationibus Mathematicis uti incipiant, de errore uno in alium prolabi ac indies deteriora consectari, donèc tandèm in apertam fidei detestationem ac animæ naufragium incurrant. Quemadmodùm Salomon ipse ab initio quidem propter solam complacentiam erga

erga uxores suas, reverentiam exhibuit diis earum, videns meliora, probansque deteriora sequens. Nam & post in apertam est pertractus idolatriam.

At Magistratum de quo hic evidens necessitas merum ex officio dependens veritatis studium, reique hujus abditissima obnubilatio ac velitationes hincinde eò usque propellunt. Neque enim est singulis concedendum id quod publicè per Magistratum fieri oprteat, pro quo multæ stant favorum ac excusationum præsumptiones; modò puris utatur manibus, ac Deum justtitiamque ejusdem præ manibus saltèm habeat. 176

Ad extremum propter abstrusas (divinæ voluntatis non temeræ tentandæ) causas religioni nobis esse debebat, hoc examen in conspectu populi, & in oculis omnium facere vel exponere, dùm unius hoc, alterius aliud de re vel persona sit judicium, & ferè sinistrum, dùm occasio datur variis hominum vel oblocutionibus vel interpretationibus, ex quibus dominus Deus magis offenditur quàm veneratur, magis indignationi divinæ quàm justitiæ ministerio fenestra aperitur. 177

Adeò quòd illud D. Gregorii objici nobis posse in quinto libro Moralium. Sæpè ipsa nostra justitia (inquit) ad examen divinæ justitiæ deducta injustitia est, & sordet in districtione judicis, quod in æstimatione fulget operantis. 178

Sanè hujus argumenti resolutio magis Theologica quàm juridica, magis incerti consilii esse videtur, quàm firmi præcepti; nam in publicam offensam ac de testationem tùm & terrorem hujus flagitii publicè quam privatim hanc probam fieri præstaret. Maximè si devotione ac legalitate populi attentâ publicis precibus in hoc fiendis venerationem divini numinis ad veritatis limam potiùs implorari consultum 179

forte sit. Si verò populus malignus, indevotus, sectator magis quàm execrator hujus flagitii existat, seu communiter depravatus, & levitatis studiosus, ne deteriùs quid inde sequatur, privatam publicæ probationi prætulero.

180 Porrò & hoc objiciebatur nobis, quòd corpora quædam humana, aut naturali ac innata animositate, aut ascitâ quâdam vehementiâ vel perturbatione sui ita in aliquo motu sint affecta seu complexionata, ut interdum supernatent aquis suapte virtute, Si scilicet spiritus ille elevator & rector tantæ naturalis potentiæ in homine sit. Ut & corporis (quod aliàs in abstracto per se grave est & deorsum in aquis tendit) energiam ad se suprà attrahat.

Aliqui etiam homines intumescentiis seu inflationibus pulmonis ita pollent, Ut vel voluntarii etiam non illicò in aquis dehiscere videantur.

181 Et ferè fieri dicas, ut plæraque humana corpora aliis citiùs, aliis tardiùs in aquis dehiscant, quemadmodùm in naufragio videri est, quosdam instar lapidis subsidere statim, aliquos ad longum spatium supernatare: Idque non modò propter vestes, quibus fortè sunt induti, vel natandi scientiam, sed de singulari corporis vel animi constitutione ac natura.

182 Hisce omnibus & singulis connexis, nos taliter respondendum censebamus, quod putaremus nullum humanum corpus, vel animi virtute vel perturbationis vehementia seu naturæ suæ quâcunque qualitate ita posse affectum esse, ut vel vi vel voluntate sua ad quartam vel mediæ horæ partem super aquas ligatis manibus pedibusque natare, superniti vel elevatum esse possit, maximè si nullus accedat natationis motus.

183 Nam corporum tria cum sint genera, unum gravissimum

soli-

ſolidum & maximè perfectum, ut lapis, ferrum, plumbum, omniaque metalla, ſilex, marmor, jaſpis, aqua, &c. Secundum grave quidem, ſed levitate quadam mixtum, vel propter naturale vel aſcitum quoddam ſibi adjacens, ut grando, glacies, pira, homo, ligna in aquis indurata, &c. Tertium leve ſimplex, ut pluma, ignis, aër, &c. inter quæ nullum niſi poſterius aquam infra ſe patiatur naturaliter, ſequitur in hoc experimento circa hominem quid præter naturam contingere.

Tandèm verò etiam hoc modo in hujus effectus ac o- 184
perationis cauſam philoſophari libet.

Deus in hac vita per magnifica ipſius ac miraculoſa opera tantò vehementiùs cognoſcitur, & quantò opera ſunt propiora nobis, magisque ſenſibus expoſita, tantò in efficientis ejus cauſam, ac artificis admirationem ardentiùs inducimur, ac eundem majori complectimur & adamamus veneratione: Eſt enim effectus omnis participata quædam ſuæ cauſæ ſimilitudo, ideoque ſpeciem nobis & veluti ejus ſimulacrum exhibet, nam ab effectibus virtus & præſtantia cauſæ cognoſcitur.

Ergò dùm hujus operationis cauſam efficientem, (dæ- 186
monis omni auxilio ſemoto) in Deum ipſum per judicem imploratum, referimus, hoc beneficium reportamus, ut magnitudinem gloriæ ac potentiæ ſuorum miraculorum latiùs ac fixiùs in plebem divulgemus ac extendamus, ut diſcant omnes terrarum populi fortiſſimam Dei manum, & ut vos timeatis Deum veſtrum omni tempore. Joſuæ cap. 4. in fin.

Qua declaratione opinionis noſtræ in hac materia præ- 187
miſſa, ſi non ſuſtollentur, ſaltèm ad minorem numerum multi errores redigentur, quos religioſiſſimus Pater D.

Petrus Thyræus Novesius societatis Jesu Theologus, in libello suo de dæmoniacis (in quo de dæmonum obsidentium ac hominum obsessorum statu, conditione, viribus & potestate agitur, cap. 19.) iis imputat qui hoc aquæ frigidæ prodigiosum factum dæmonis levitati (qui & igneæ & aëreæ est naturæ) solum & insolidum ascribunt.

188 Neque enim nos estimamus tales personas in corpore diabolum gestare vel habere, neque vel ideò quod is eos regat, evehatque, supernatare aquis, neque etiam nos definitionem ex hoc sumimus effectu, sed præsumptionem saltem.

CAPUT IV.

HACTENUS in ambigua lusimus arena, consita-
189 toque cursu, ac velitationibus hinc inde factis, nostram quidem (salvo semper sanctæ matris ecclesiæ calculo & determinatione) deprompsimus sententiam: nùnc extremis relictis, atque utrâque classe conjunctâ, utra pars victrix, vel qua ratione invicem conciliandæ sint, libet hac bicipiti conclusione depromere.

Sanè quidem, quando dæmonicam illam turpitudi-
190 nem ac fœditatem hujus criminis penitiùs intueor; quando in abditissimas insidias, fucos, ac imposturas tortuosissimi serpentis ardentissimi ac potentissimi magisterculi principis scilicet tenebrarum mentis oculos fixè intendo meos; quando in indignationem, pericula ac exitia illa, quæ ex impunita dissimulatione vel in diligentia Magistratus quicunque apud Deum incurrit, intellectum defigo meum.

Tandèm verò, & in primis, quando pensiculatiùs circumspicio, ut dæmon (ut qui à Græcis calumniator dicitur, semper explorans bonorum facta. Sap. 3. Eccles. 17. & adeò affabrè omnes irretire & succedere studet, ut etiam coram

coram Deo ipso, accusationem instituere audeat, nedum malorum, sed etiam bonorum. Job. 1. Genes. 3. S. Petrus Canonica epistola 1. cap. 5.) possit, velit, & mille modis hactenus etiam incognitas artes, technas ac vias paratas habeat, quibus tàm Magistratum, qui justitiæ magiæ fortè præsidet judicando, circumvenire ac deludere, quàm quoscunque pios, & minimè reos homines in reatur ac diffamationem hujus detestabilitatis, arcescere, provocare, ac omnibus modis inducere studiosissimè nititur. Idque propter Vatinianum odium, quo omnes tàm bonos ac innoxios, quàm & malos impensæ prosequitur.

Unicum verè accertiùs omninò medium hanc aquæ 191
probam existimo, quo Deus ter Optimus Maxim. tàm ea quæ Maleficæ secretissimè ac omnibus arbitris remotis committunt & peragunt, quàm & ea quæ denunciationibus, famâ ac indiciis testantium, nùnc falsò nùnc ambiguâ fide circumferuntur, ac judicantibus sæpè persuadentur, retecta, nudata, ac publicè conspicua esse vult ac intendit.

Quod medium tùm phaniùs tricipiti proposito sum 192
conclusurus, ubi duas discussero quæstiones evidentalium ac majoris certitudinis loco præmittendas.

D. Binsfeldius in duodecimo preludio fol. 61. dæmones assemere posse corpora, & in ipsis apparere hominibus concedit.

Et licet corpora illa quæ dæmones ex condensato & 193
materiali aëris elemento adsumunt, vera seu realia corpora non sint, qualia nostra, sed saltem ex tali condensatione carnem & ossa membris & nervis distincta, visibiliter ac tangibiliter circumferant, veramque & solidam habeant aëream corporietatem, vel etiam citò in eandem aëream elementarem materiam resolvuntur, cum nec veram formam

mam aut organizationem completam (ut loquuntur Physici) sed solùm effigiem, quæ potiùs artificialis quàm naturalis sit, præ se ferant, pariterque signum aliquod in ima vel abdita corporis parte improprietatis humanæ demonstrativum circumferant, quæ internosci possint facilè.

194 Tamen quia artificio suo ac ascita alterius corporis ementita repræsentatione aç suppositione adeò dextrè homines plerunque ludificare ac fascinatos tenere dicuntur dæmones, ut ad longum sæpè tempus falsa pro veris, ac error pro judicato seu comperto multotiès recipiatur, de quo & exempla & experientiæ extant innumeræ, ex quibus indicia obscuriora ac magis incredibilia apparent, quæ sæpè contra delatas proferuntur personas.

195 Hinc illa est oborta quæstio, quæ erit in ordine prima: Utrùm dæmon cujusquam hominis, qui sibi per speciale expressum vel tacitum pactum mancipatus, devictusque non est, personam in facie, vultu, vestibus, vel gestibus, seu etiam alia corporis assimilitudine inducere & repræsentare possit? Quod si Deo permittente, demus, consequenter, indicia contra denunciatas comperta sæpè fluxa, falsa, ac mille interdum deceptionibus obnoxia esse.

196 Sanè D. Binsfeldius in sæpè dicto suo tractatu de confessionibus maleficarum prope finem dicit hoc contra ordinariam divinam providentiam esse, quæ ex sacris literis innotescat, atque effectibus declaretur. Sicut enim divina misericordia efficiente non potest diabolus (ut rectè Bart. Spineus in quæst. de strigibus cap. 14. & in Apologia 3. cap. ait) deludere, nisi eos, quorum mentem primò sibi per infidelitatem subjugaverit ita credendum est, nullius illum personæ figuram (ut de tanto crimine accusetur) posse prætendere, nisi ejus quam sibi jàm per similia crimina devinctam

ctam esse sciverit, & multoties realiter cum aliis ad ea perpetranda convenerit.

Et idem Binsfeldius paulò post: Si tamen de extraordinaria (inquit) Dei potentia loqui velimus, negandum non est, Deum posse permittere, ut innocens accusetur in hoc crimine, sicut in aliis ad bonum aliquem finem. Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, tandem tamen innocentia manifestabitur. Novit enim dominus pios de tentatione eripere. 2. Petri, capite 2. Et sanctus Paulus: Fidelis Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed dabit cum tentatione proventum. Et iterũ, clamaverunt ad me justi, & ego exaudiam eos: id quod in Susanna & aliis piis tentatis abundantissimè docetur. 197

Cæterùm cum fallaci diabolo ex sacris literis sit perspectum, Deum non permittere ut electi tribulentur, aut tententur, nisi ad meritum, nisi ad probationem & bonum, ideò non appetit talem repræsentationem justorum tantoperè. Hactenus ille.

Verùm nobis pro introductione majoris certitudinis 198
hujus quæstionis, libet ea commemorare quæ tradit Guilhelmus Pariensis gravissimus autor in secunda parte de universo. Et enim sicut dæmon, inquit, ab initio ambitiosissimè affectavit assimulari altissimo; ita nùnc usque regnum suum tenebrosum ac sceleratum contendit immanissimâ impietate confirmare regno ac militiæ creatoris deputando angelos tenebrarum diversis iniquitatis obsequiis, secundùm quod Angeli sancti deputata habent ministeria pietatis: sic Ecclesiam malignantium suam, assimilare conatur Ecclesiæ sanctorum, quatenus Deus & salvator, in Ecclesia sua constituit veros Apostolos, veros Prophetos sanctos Martyres, fidelissimos confessores, ac virgines fatuas.

199 Enim verò qui ab exordio fuit signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, factus est simia, ridiculosæ ac deformis imitationis, sic & totum regnum ipsius, sua vanitate, ambitione & iniquitatum congerie versum est, velut in summam quandam Ecclesiæ electorum, quæ verè est regnum Dei. Hæc ille Pariensis.

200 Proinde quo in hac parte à Doctore Binsfeldio ac Canonica veritate nimium non recedamus, repræsentationem illam ac Ideam Innocentum pernegare planè non possimus.

201 Nam si DEUS permittit Sathanam hominem alioqui non maleficum, non sceleratum variis nocumentis, infirmitationibus ac infamationibus circa corpus, fortunas, dignitates vel existimationem ejusdem divexare, quemadmodùm multotiès compertum est, & comprobatum. Quidni etiam vultum, faciem ac personam ejusdem repræsentare in ludificationem, infamiam, ac discrimen Deo permittente potens erit? Quare putas plus potens esset dæmon si permissione divina hominem vulgariter innocentem, neque ex pacto ullatenùs sibi devinctum, per aëra in remotissimas regiones, celeritate incredibili ferre, & non eundem de facie, vestibus, vel moribus aliis exhibere in imagine conspiciendum posset? Vide præclarum ac pium tractatum domini Petri Thyræi Novesii de spirituum apparitionibus lib. 2. cap. penult. & ult.

202 Quid, inquam, mirum, vel incredibile id foret in dæmone, quod homines fecerunt in corpore proprio: Nam ex historiis constat multos mortales aliorum sæpè nomina ac personas sic repræsentativè fuisse ementitos, ac alios quasi ii essent quos præferebant, delusisse, specieque veritatis irretivisse ac obstrinxisse, ut ex eodem illo errore & suppositione, sententiæ sæpè in judicatum roboratæ, actaque decre-

decretaque talium erroneorum hominum veritatis vim etiam falsitate detecta, merverint, quemadmodùm de Barbario quodam Philippo fertur, qui tanquam liber esset se populo Romano insinuavit, atque eo nomine prætoriam dignitatem aliquo tempore Romæ administravit, l. 3. ff. de off. prætor.

Sic Laodice regina Syriæ, cùm interfecto marito An- 203
tiocho, mortem ejus populum celare ac dissimulare percuperet, Artemionem marito persimilem in lectum regium ascivit, atque ille ejus jussu, tanquam ipse Antiochus esset, è lecto loquens uxorem & liberos civibus commendasset, ea ratione perfecit, ut populus qui Antiochum eum esse putabat (fuerat autem Antiochus toti populo acceptissimus & charissimus) regem atque Laodicis consilio ac voluntate eligere nollet. Plinius naturalium historiarum libro septimo, cap. 12. ubi plura exempla.

Quinimò & nostrâ ferè memoriâ in agro Artigatensi 204
Gasconiæ accidit: ut quidam Arnoldus Tilhius, aliàs Pansea dictus, commilitonis sui Martini Guartæ (quem ex ictu globi defunctum putârat.) apud uxorem, sorores, amicos, cognatos, ac totam denique patriam, personam, mores & gestus adeò dextrè ac artificiosè præ se gereret, ac exhibendo repræsentaret, ut (omnibus ipsius Martini artibus, corporis articulis, ac singulis omninò humanis circumstantiis instar simiæ ac ad vivum ita productis ac expressis) ferè jam sententiam diffinitivam in contradictorio judicio, primo Artigati, post etiam Tolosæ in suprema Curia pro se quasi verus ac ipsemet Martinus atque Berrandæ Rolsiæ (cum qua duas stante illo errore ac suppositione proles habebat) legitimus maritus esset, jam reportasset; nisi in ipso sententiæ articulo ac momento verus

Martinus è militia ſuperveniſſet, atque inſignem hunc falſarium confundendo, adulterii atque multorum aliorum criminum reum effeciſſet; idque per ſententiam diffinitivam ſeu Arreſtum die 12. Septemb. Anno 1560. in Curia Gallicana Toloſæ latam: de qua facti ſpecie memorabilem ſcripſit tractatum Joannes Coraſius Regius in dicto Parlamento Conſiliarius, plura ejusmodi exempla refert Valerius Maximus lib. 9. cap. 16.

205 Ipſe verò Binsfeldius in duodecimo præludio ac paſſim per diſcurſum ſui tractatus de Confeſſionibus maleficiorum, multa profert exempla. Vel dæmon vel ipſius Chriſti Salvatoris, vel aliorum venerabilium virorum forma, ſanctis viris expreſſit, ac inſidiosè repræſentavit, quæ longum eſſet deſcribere. Malleus item Maleficarum in ſecunda parte, quæſt. 1. cap. 11. non negat expreſsè, vel abſolutè talem transfigurationem vel exhibitionem imaginariam innocentis hominis, ſed dicit eam vix dæmoni eſſe poſſibilem, tùm propter Angelorum myſticam cuſtodiam erga omnes bonos, tùm propter criminis hujus incomparabilem turpitudinem ac fœditatem, tùm maximè quia exemplis eam rem docentibus careamus.

206 Sanè quantùm ad Magas ipſas vel Veneficas, eſt expeditum, quando ipſæ ad choreas vel conventusmet venire non poſſunt, vel nolunt, dæmonem vel amaſium ſuum eodem cum conſenſu & mandato ſuas inducentem perſonas mittunt. Sed quia Apocalypſeos cap. 13. dicitur, datum eſſe illi beſtiæ bellum facere cum ſanctis & vincere eos, & datam eſſe eidem poteſtatem in omnem tribum & populum & linguam & gentem, quidni conceſſerimus eidem & hoc fraudandi hoſtem ſuum ſtratagema? quùm Pithoniſſa in Endor, poſtulante rege Saulo, ſuo genio quem familiarem

habebat Samuelis animam excitaverit, aut veriùs dæmonium quoddam ejus forma indutum, 1. Regum, cap. 28. c. fin. §. prætereà. 26. quæst. 5. aut certè spectrum vel fantasma Samuelem repræsentans.

Tandèm verò magna probationum ac persuasionum mole hanc nostram astruere tentabimus sententiam & tot pseudo prophetarum ac hæreticorum impiis dogmatibus qui in medio Catholici orbis populo jàm inde à nascente extiterunt Ecclesia, qui vel ex eventu rei quam prædixerant, vel quia venerabiles eloquio seu conversatione amabiles inter suos fuerant, multos vel ingenii viribus prævalentes, vel doctrinæ opibus excellentes, vitæque integritate conspicuos ac sanctos, etiam interdum imperii diademate, vel summi pastoratus apice præfulgidos viros in extranei erroris ac seductionis suæ pertraxerunt communionem, sicque in avita fidelubricos fluxosque effecêre. Quare inquam à Deo non prohibetur ab initio doceri persuaderive id quod à Deo prohibebatur audiri? Quare Deus non præscindit causas, aufert hæretici commercii gladium, & alligat impotentiæ catenis autorem, per quem tàm pernitiosus sequitur effectus, per quem tot noxia sibique inimica infligit & disseminat perditionis animæ vulnera zizaniamque? Sanè quidem ad hoc permittit id facere Deus dæmonem, ut fidos habendo tentationem haberent & probationem. Vanè ergo & inconsiderate plerique hoc ipso scandalisantur & succumbunt, scientes & certi quod licet non abolitionis imperium; (ipse enim ad hoc creavit dæmonem & nos (militia enim est hominis vita super terram) & non ipsi nos) tamen devitandi & cavendi arbitrium in nostra haberemus potestate. Et licet in simplici aliqua earum hæresi, qui seducuntur adsit vel culpæ vel voluntatis eorum causa; in

Marginal numbers: 207 (beside "Tandèm verò magna probationum ac persuasionum"), 208 (beside "id quod à Deo prohibebatur audiri? Quare Deus non præ-")

hoc verò ementito innocentis personæ testimonio nullæ omninò causæ vel culpæ militet communio, unde similitudine sua per totum non convenire hoc argumentum dixeris, tamen ad Dei tentantis voluntatem, dæmonisque potentiam quod attinet, nulla videtur esse dissimilitudinis ratio.

209 Quo circa magnam hujusce rei causam à semet profectam Deus ipse ut nos avisando doceret & instrueret per Moysen hanc adfert commonitionem: Non audies verba Prophetæ illius, inquit, quia tentat vos dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum an non in toto corde & in tota anima vestra. Deut. 13.

210 Cujus rei egregium extat exemplum in B. Tobia ca. 2. hisce verbis: Contigit autem ut quadam die desatigatus Tobias à sepultura veniens domum, jactasset se juxta parietem, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderant super oculos ejus: fieretque cæcus, hanc autem tentationem ideò permisit dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job.

211 Et in eodem Tobia ca. 3. Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum orans & collaudans dominum. Hoc autem pro certo habeat omnis qui colit te, inquit, quia vita ejus si in probatione fuerit coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit: hactenus textus illi, huic consectarium est id, quod dicit B. Paulus cap. 5. ad Roman. Gloriamini, inquit, in tribulationibus, scientes quod & tribulatis patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.

Quod

Quod itaque Deus permittit voluntatem, seu liberum 212
hominis arbitrium ita tentationibus abripi, ita in periculum animæ ac perditionis suæ trahi tentationem, nisi tentata taliter Catholica ovis vigilans, constans, immobilis, & cauta citò ad præmonentis Moysi præcitatam parænesin respexerit, ac prophetæ pseudopastoris illius aversata fuerit eloquia (quemadmodùm idem Tobias ad eos qui patientiam ejus & in bono perseverantiam irridebant ac increpabant eum. Nolite ita loqui (inquit) quoniam filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quàm Deus daturus est his, qui fidem nunquam mutant ab eo) quantò magis patietur dæmonem vestimenta, voces, facies ac gestus piorum affabricare & supponere, ut eosdem in tentationis laqueos inducat, sed neutiquam disperdat. Quod si in simplici hæresi, & sic liberæ voluntatis arbitrio Deus non patitur quenquam tentari suprà id quod potest, sed novit in tempore de tentationibus eripere.

Quantò magis offensam vel scandalum hoc malefi- 213
ciale hominis innocentis præter vel extra omnem voluntatis ejus assensum inimico practicante datum, remediabitur in tempore, innocentiamque ad manifestationem gloriæ suæ revelabit Deus omnium bonorum & malorum æquus retributor. Agite ergò non dicamus cum Pharisæis & Judæis, nonne potuit hic (intelligunt Christum) qui aperuit oculos cæci nati, etiam facere ut non moreretur Lazarus? Joan. 11. Sic etiam innocentes quoscumque & justos suos ut pupillam oculi præservare ne perditionem hanc vel discrimen incurrant maleficialis suspicionis? Sed potiùs dicamus cum Christomet ibid. Joan. ca. 11. Infirmitas hæc, puta maleficialis, non erit ei in mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eum. Et paulò post: Nonne dixi tibi, si cre-

ſi credideris, videbis gloriam Dei: & haud abſonum fuerit credere multos qui de tentionibus talibus Judicum maleficiariis ut eriperet eos Deus, promeruerunt, poſt in tanto luculentiorem fidei & gratiæ perfectionem ac obſervationem abiiſſe, confirmatosque ut ſanctos obiiſſe.

214 Ut itaque hanc in Dei nomine conceptam ad praxin concludamus quæſtionem primam. Et ſi transfigurationes eas innocentum demus, rariores tamen eas in ſubjectum per ſe non adeò de pravatum vel notoriè criminoſum eſſe putabimus (juſtorum quippè non proditor ſed protector Deus eſt) quàm in maleficas, & in alios extra divinæ charitatis gratiam notoriè exiſtentes perſonas delatas, proinde judicum in hoc prudentia & diſcretio ſummè ac ſanctè verſabitur, qui circa comprehenſæ perſonæ anterioris vitæ acta atque indicia alia qualiacunque diligenter inquirent, & eadem quàm diligentiſſimè advertent, famæ comprehenſæ ac delationi complicis maleficæ (quod eam in cœtibus ſaltantem, & inſtar aliarum cum ſuo amaſio converſantem ac inde avolantem viderit) teſtantem ne quid minùs tribuant, ſed ea quæ de probationum conjunctione ac judicantis religioſo arbitrio paſſim Doctores inculcant & tradunt, uti Dei & hominum miniſtri præ oculis fixè habeant.

215 In ſecunda quæſtione erat aperienda illa differentia, quæ eſt inter veterum gentilium & paganorum religionem ac ritus (qui licet ſolem, lunam, aurum, argentum, aliasq; creaturas adoraverunt, aliaque multa fecerunt, atque etiamnum faciant, quæ vera opera ſunt diabolica & magorum, tamen quia illi profeſſionem Deo noſtro vero, æterno ac ſoli omnipotenti nunquam fecerunt, ſed à parentib. majoribusque ſuis ac ſacrificiis aliter non ſunt inſtituti, ſicque in ignorantia puræ negationis verſantur, ideò veniam vel a-

pud

pud Deum, vel apud magistratum merebuntur, suppliciumque ignis non experientur, si devotè se ad pœnitentiam composuerint, ac Deo adhæserint nostro, quemadmodùm in Jona Propheta dicitur in cap. fin. in fin. hisce verbis: Et ego parcam Ninive civitati magnæ in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dextram & sinistram, & jumenta multa.) Necnon nostri hodie temporis in Christianismo maleficarum ac sacrilegorum professorum ritus ac abominanda exercitia, qui etiam pœnitentes & conversi sententiam ignis nihilominùs excipiunt, idque propter pactum ac de composito cum dæmone factum detestabile fœdus, in quo miselli multùm decipiuntur, nihilque minùs quàm fides data per ipsum servatur.

Cæterùm quia ad finem hujus nostri laboris properamus, ideò unam adhùc quam didici magni illius Dionysii Carthusiani propheticam ac verè Catholicam esse sententiam, subnectere libuit: quâ, quantum in omnibus, tam bonis quàm malis hominum liberis actionibus, divinæ omnipotentiæ secretam ac prædestinatam voluntatem, sapientiam, ac inperscrutabilem deitatem humanitùs arbitrari, scrutari, & æstimare liceat, perspicuè & docetur & explicatur: Is enim lib. suo de divinis nominib. dicit, ac luculenter probat, in mundo nihil non bonum esse, nihil humanitùs fieri, quod non sit vel per se vel relatione bonum, quamvis aliud alio sit melius, hinc Job. cap. 5. nihil in terra sine causa fit, & de humo non egreditur dolor. 216

Ipse enim Deus, salvator noster splendor paternæ gloriæ, expressaque imago substantiæ illius, naturæ totiusque universæ est opifex, ab illo singulis creatis vivifica virtus infusa est, hoc est per eum unumquodque, genuina sua vi 217

ſubſiſtit, inſitâque facultate ſe protegit ac tuetur, qui etiam ſecreto encomio ſuo voluntatem gloriæ ac majeſtatis ſuæ in vetitis, injuſtis, ac ab ipſa natura dannatis hominum actionibus ſubinde ita exequit ac dilatat ſuam, atque ex venenatis noxiisque herbis (creaturis ſuis) ſalutaria pharmaca & theriacæ conficiuntur per medicos, qui immedicabilibus hominum morbis, ſunt utiliſſimæ ac neceſſariæ. In
218 quem uſum hoſce aliquando concinnavi verſus:

Regnat in humanis divina potentia rebus,
Iupiter eſt quodcunq; vides quocunque moveris
Fortè nil eſt, medio poſuit Deus omnia campo,
Omnia ſecreto majora, minora gubernans,
Cujuſcunq; rei ſua cauſa per omnia luſtrans
Omnia plena bonis, plena omnia miraculorum
Inviſibiliter, tamen alta in luce videmus
Cuncta creata hominis mediantia ſigna saluti.

Et hoc idem metricè ita expreſſit Boët lib. 3. de conſolat.

tu cuncta ſuperne
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimiliq; in imagine formans.

Jàm tandèm ut eò undè digreſſi ſumus noſtra redeat oratio,
219 operique finem imponamus; illud in primis memoria libet repetere: naturalem divinationem eſſe rerum futurarum, præteritarum vel præſentium anticipationem, quæ nihilominùs occultæ ſunt in cognitione cauſarum. Multa enim videmus oculis, & manibus noſtris palpamus, quorum manifeſtam cauſam reddere, aut etiam nominare non poſſumus: & nihilominùs illa veriſſimè ita ut videmus & tangimus ita ſe habere credimus, prout has inde à creatione mundi ordinavit Deus; Deus qui prima æternaque cauſa eſt, & à qua omnia æternaliter & immobiliter dependent.

Cùm

Cùm enim omnes tàm Christiani quam Ethnici principium & originem rerum omnium visibilium & invisibilium, sine alio modo Deum statuunt, qui dixit & facta sunt, potentiam cum voluntare in virtute actionum omnium ita conjungens, ut ea omnia quæcunque & dicit & facit nihilominùs jam inde à creatione mundi in angelos suos, hoc est spiritus ministeriales sive bonos sive malos distribuerit, quorum operâ res omnes creatas instaurat, destruit, fovet, diruit & ædificat. 220

Unde si quando Deum efficientem causam formare, vel materialem mundi, actionumque omnium quæ in mundo fiunt, dicimus, id de ministerio spirituum vel intelligentiarum, quæ ad has res & creatæ & destinatæ sunt, intelligendum. 221

Piè igitur & firmiter est credendum, Deum, qui omnibus rebus creatis suos angelos (quos intelligentias vocant) præfecit, etiam elemento aquæ suum spiritum ministerialem, tanquàm clientem addidisse, per quem omnia quæ circa hoc elementum vult, compellat, agit & exequitur. Nam & quod cœlos moverì cernimus, cœlestiaque lumina, id angelorum fit ministerio, qui propriè dicuntur angeli. Ergò non mirum si Deus ter opt. Max. per virtutes cœlestes, hoc est, impressiones spirituum suorum vel angelorum multarum rerum mirabilium sit & effector & autor, idque invisibiliter, ac nobis ignoto planè modo. 222

Quocirca si hanc aquæ probam probè ac sine fuco, certoque ac patenti temporis spacio factum in divini mysterii & voluntatis ejus partem in solidum ponamus, pleneque confidamus, neque ambigamus quicquam, sanè propter causas supra passim positas, non modò necessariã, 223

ſed & meritoriam eam fore confiderem: nam impietas, tepida confidentia ac mobilitas fidei noſtræ, miraculorum inſolentiam vel raritatem à Deo apud nos eſt cauſata, qui omnipotentiam voluntatis ac gratiæ ſuæ interdum reprimit, & celat nos hodiè, ne cauſam majori inquinationi ac perditioni noſtræ dare videatur, qui præcoci ac immaturâ ſenſibilitate noſtrâ nitimur, ſicque dæmonem magis, quàm Deum devinctum ac addictum nobis potiùs habemus. Sanè apud Iſraëliticum olim populum major erat perpetuæ ac inextinguibilis confidentiæ ardor in Deum quàm hodie apud nos eſt, hinc illorum tot miraculoſæ victoriæ, hinc tot virilis conſtantiæ, mulierum heroica ac divina facta, hinc gentilium paganorumque ſtrages, hinc ſpirituum bonorum vel geniorum miraculoſæ ac frequentes illius temporis viſibiles & inviſibiles apparitiones ac in bono propoſito ad bonos ſuccurſus ac auxilia: ut in Tobia, Apocalipſi ac aliis patet quàm plurimis exemplis.

224 Sin verò hanc probationis poteſtatem ac arbitrium perficiendi ad dæmonem referamus; tùnc licet aversâ ac infidâ id intentione faciamus, nempè quod ſit proditor pacti & fidei maleficæ datæ, ac deſertor ejus quam protegere ſuſcepit ac defendere. Idque totum nihilominùs permiſſione divina factum dicamus: tamen quia detractionem aliquam vel imminutionem divinæ majeſtatis, quaſi per quandam concomitantiam impingere vel etiam populo imprimere videmur, ſicque gradum ſeu initium ad idolatriam, ad averſionem à Deo, ad ſuperſtitionem includimus, ac paulatim ad infidelitatem præmonſtramus, ſeu quaſi cordibus plebeiorum inſtillare videmus, qui propter puſillamitatem ad quaſcunque

que rerum adversitates de gradu ac constantia fidei facilius dejicientur, vel in ambiguo collocarentur, incautius forte ad hujus versutissimi hostis scholam ac institutionem dilaberentur, si hanc ipsi abjiciamus demergendi vel supervehendi autoritatem.

Nam horrendæ omnes idolatriæ inde omninò pro- 225
venerunt, quòd relictus fuerit Deus, bonorum acceptorum honos exhibitus, actæque gratiæ, soli, luminibusque cœlorum, tùm propter efficientiam aliquam rei miraculosæ vel occultæ spiritibus aëris, postremò & inferioribus creaturis.

Præsupposito itaque eo, (quemadmodùm ex veri- 226
tate scripturæ verè est præsupponendum) quod Deo ter opt. Max. rerum omnium creaturarum opera sive bona sive mala sint attribuenda, & quidevit fit, id ejus nutu, illius & suorum potiùs angelorum facto ac opera peragi: quin potiùs etiam hoc Magistratus factum ac in qua tentamen ad ejusdem Dei ac illius angelorum efficientiam naturali illis planè & prædestinato modò unicè & insolidum referamus. Quæ sententia propiùs ad veritatem tendit, remotiùs à peccato, ac remotissimo à periculo recedit.

Hæc igitur satis futura esse censemus ad demon- 227
strandum naturalem hunc modum quo illud quod scire cupimus, intelligimus, ac jicitum & à Deo institutum agnoscimus: meliùs sanè ac tutiùs; si ad ipsum, non ad alias res creatas honor & laus coram omnium nomine referatur, sive futuris rebus abditisque cognoscendis, sive efficiendis aliis incumbamus. Nam quatenus in causis naturalibus (quamvis latenter ac imperitis ferè incredibiliter) hic modus probandi consistit, eatenùs

nùs licebit (quemadmodùm & cœlestium luminum ac impressionum virtutes) perquirere, & in eodem versatur gloria Dei, qui per creaturas suas res tàm facit admirabiles.

228 Sin verò naturaliter indagari non poterunt, vel ad dæmonem talium rerum virtutes deferimus, tùnc si studiosiùs scrutari intendimus, in superstitionis laqueos, ac confusionis fidem incurrimus: hoc etenim modo videtur pactum implicitum ac præter intentionem cum dæmone haberi, quod is ex antecedente aliquo sibi præconcesso ac attributo, ad consequens minùs prævisum, imò & de jure minùs consequuturum fortè pervicaciter nihilominùs extendit & decipit.

229 Wilhelmus Adolphus Scribonius Marpurgensis tractatum scripsit & edidit anno 1588. Marpurgi typis Pauli Egenolphi luci datum. Is in 2. lib. de inquirendis per certa signa & rectè cognoscendis, examinandisque sagis dicit, hanc super vel innatationem sagarum ex sathanica quadam provenire levitate & causa scilicet efficiente, quod sathanas justissimo & imperscrutabili Dei judicio sua levitate attrahat, tollat retineatque sagas in alto aut superficie aquarum: est enim natura ejus quam levissima & aërea plùs de aëre quàm de aqua participans, unde in aqua velut in elemento graviore crassioreque sagas elevet & sustentet, illis subjacens, & ejus quasi in dorso gestans, vel etiam eas ob inhabitantem illum corporib. suis spiritum levissimum non submergi, totum illum in omnibus sagarum partibus in habitare, ideoque illius etiam levitate eas in aquis retineri, non quæ hypostatica unione aut mixtione physica illorum naturæ quantum

ad

ad interiorem constitutionem attinet, coadunata esset, sed quæ illi saltèm adjuncta esset à præsente sathane: cacadæmon ergò substanti aliter sagis diffusus eas retinet, quantum scilicet ad ipsum spiritum, qui sine sua essentia eas inhabitat, non quantum ad substantiam partium corporis sagarum, levitas ergò ea non est quæ à forma corporis immediatè provenit, sed adventitia, externa, aliundè accedens: Et paulò post idem Scribonius: *Sagæ à sathana, inquit, ceu lictore Dei omnipotentis singulari quadam levitate retinentur, ne aquis submergantur.*

Quoniam verò lictor Dei & famulus est, potest id 230
tantum expedire, quantum Deus judex justissimus, cùm jubet, & cujus potentiam illi tribuit, ut videat ipse sathan nullam sibi esse potestatem condonandi seu remittendi peccata, vel potiùs eos divinitùs servandi quos velit, sed solum servitium sibi relinqui, quo Deo in puniendis sceleribus subministret.

Non potest itaque, etiam si maximè appetet insón- 231
tes submergere, quia Deo contrarium hoc esset judicium, ut insontes periclitarentur ob ea quæ non commisissent. *Longè siquidem credibilius est, inquit, de permissione & beneplacito Dei in sagis per cacadæmonem puniendis, & de ipsius cacadæmonis potentia, quæ semper eatenùs quibusdam ligata sit, ne ultrà terminos à Deo præfinitos quicquam facere queat.*

Quid porrò si illis omissis dicerem, Deum ipsum 232
sagarum, quas scilicet verè reas esse novit, corpora singulari quadam, & specifica levitate inducere, quâ in superficie

ficie aquarum ferantur, inde certè non sequeretur Deum ab operibus creationis non cessasse. Ita enim prædisponere potuit, ut si quæ sagæ futuræ sint, speciali quodam modo in aquis nequaquam submergi debeant. Utrùm verò hoc omnipotentiæ divinæ contrarium esse dicetur? utrùm etiam voluntati? quia non expressè significatum est in sacris literis? minimè. Et paulò infra: aqua scilicet sagas in se ferre non potest: quomodo verò & quam
233 ob causam? Nempe Deus opt. Max. suo prudentissimo & justiss: judicio ab omnib. inde seculis elementum aquæ prædestinavit salutari regenerationis hominum lavacro, ut qui à peccatis abluendi essent, & Christi Ecclesiæ initiandi, hujus Baptismate uterentur, & per hoc medium novi homines facti quasi per januam in Christi regnum ingrederentur, qui prius rejecti fueramus. Quandoquidem inquam, Vatiniano quodam odio eas accusat & rejicit, ut si maximè pro viribus tentent, non tamen submergi possint.

234 Et quodnam est illud odium? aquæ Deo placuerunt, quibus usurpatis peccata hominum ablueret atque purgaret; in baptismate Christo Dei filio nomina nostra primùm damus, & ejus albo incorporamur, adeoque in civitatem Dei ut germani cives recipimur: ideoque omnes qui salvi modò fieri volunt, sacræ huic baptismati immergi ac purgari oportet: at sagæ freto isto divino lavacro toti Trinitati, Deo patri, filio & spiritui sancto, scientes volentes renunciant, & nihili de creatoris opera, nihil ordinationes & creaturas facientes peccatores & apostatæ omnium aliorum fiunt pessimi. Cum autem hoc scelere in toto mundo nullum scelestius unquam definiri aut reperiri possit, quid dubitem dicere? si sagæ non submer-

merguntur aquis, id fieri ob peculiarem iſtam antipathiam, videlicet quòd elementum aquæ nolit illas intra alvem ſuum recipere, ſed omninò reſpuat, & omnibus modis fugiat, hunc ſcilicet in finem, ut peccatrices ejusmodi manifeſtentur Nam & creaturæ inanimatæ ſerviunt prædicationi & gloriæ nominis divini, ut ſcilicet 235
cœli, ita quoq; elementa enarrant gloriam Dei, tùm alias, tùm in hoc ſi peccatũ & injuſtitia ab illis revelata puniatur; aqua in baptiſmate eſt ſacramentum, eſt ſignum, eſt ſigillum initi inter Deum & hominem baptizatum novi fœderis. Quidni igitur eodem modo ſignum aut indicium eſſe poſſit diſſoluti illius & fracti iterum fœderis? Et hanc rationem ſive cauſam facilimè dixerim eſſe veriſſimam, ut ſi aliæ nullæ admittendæ videantur, una tamen hæc recipienda ſit.

Hæc ferè ſunt, quæ Scribonius de hac aquæ probatione ediſſerit, cujus verba certo ducti conſilio adſenſum libuit integrè aſcribere, ac ad finem hujus operis noſtri apponere, quia in ejuſdem fine id manus noſtras is autor primùm venit. Planè quod is de lictore vel miniſtro Dei dæmone in hac purgatione adhibito, ſentit id ex cauſis ſupra proximè attractis, neque Catholicæ noſtræ religioni tutum etit per omnia concedere. 236

Nam etſi minimè id impiâ vel malitioſâ, ætas fortè noſtra ſic teneret intentione; tamen quia per communionem illius mali hoſpitis, is applauſum ac benepacitum aliquod ex hac delatione noſtra in ſemet falsò concipere, deludere, ac latenter vel occultè paulatim ſeducere incautum populum poſt aliqua fortè ſecula poſſet, & ſibi creatoris ſui virtutem attribuere vellet, quemadmodùm in ſuperbia potentiæ ac gloria regnorum ſuorum 237

rum Pharaô Rex Aegypti dixerat : Meus eſt fluvius, & ego fecimetipſum. Ezech. cap. 29.

238 Quò itaque hanc probationem ab omnibus fallaciarum involueris ab inconceſſis dubitationum tricis liberam purgatamque reddamus, ac ſecuriorem viam ingrediamur, in priori noſtræ concluſionis parte cenſemus tenendum circa hujus aquatilis purgationis examen, quæ de mandato ordinarii magiſtratus procedit, ullum eſſe factum nullum miniſterium, neque operam ullam dæmonis, ſed Dei omnipotentis ſolius per ſuos miniſter iales bonos angelos id exequentis.

239 Ad alteram concluſionis partem de judicio ac ſentimento animi noſtri (in initio quippè hujus capitis bicipitem concludendi viam promiſeram) quod attinet. Sanè propter arcanam atque excelſam minùs hujus rei conſtitutionem, veritas etiam comprehenſa fortè, ægrè tamen apud quemvis defenditur, difficiliùs retinetur, ac licet ſæpè holitor ſit oportuna locutus, tamen multùm intererit Davus ne loquatur an heros, ideò ne ſcientiæ vel ſenſuum altitudine potiùs, quàm exercitii Chriſtianæque charitatis pondere hæc ſcripſiſſe videar potiùs, totum dependere me à S. matris Eccleſiæ autoritate profiteor nihilque quod eidem in ullo adverſetur, determinatæ multò minùs obſtinatè defendere velle.

240 Illud tamen ad extremum identidem ac ſincerè omnes judices ac Magiſtratus commonitos volo, ut hanc aquæ probam (quatenùs per ſuperiores liceat) non modò temerè ac ſine ſumma cauſa non adhibeant, ſed etiam in ea exercenda, prudenter ac ſollicitè advertant, ne quid fraudis fuci vel impoſturæ committatur. Ittem ad corporum mergendorum conſtitutiones ac ſexum,

item

item ad flumina medica vel physica prudentia doctè attendant. Adsitque spacium omninò competens ac dilucidum, quo & Judicibul (quos in rem præsentem venire, ac non tantum obulis id quod agitur subjicere propriis: Sed etiam carnificem officio authoritatis suæ severè conveniet admonere, ut probè ac dextrè, si neque dolo & fraude rem hanc exerceat:) & quibuscunque circumstantibus omnis recta rectè dubitandi occasio eximatur supernatatioque hæc præter naturalis evidentissimè ac singulorum oculis pateat infallibiliter, præstaretque eam majori, quàm hactenus est factum, fortè reverentia, attentione ac devotione peragi, prout suprà de sorte diximus.

Tandem verò quia tota perditæ hujus artis actio 241
mirè est tenebricosa (dùm sæpè quo minimè credis gurgite piscis erit.) & alioquin per se meritò misti fori esse perhibetur. Ideò tutiùs sentiendum mihi tutiùs versandum Judicibus circa hanc probationem, tùm & circa totam inquisitionem hujus ludibrii existimaverim, si & seculares, Ecclesiasticos, & vice versa sibi adjungant, saltem ætate, vitæ commendatione ac prudentia judicandi venerabiles & discretos viros, absque tamen confusione Jurisdictionum ac potestatum.

Unicum semper fuit præsidium piis, & tanquàm 242
sacra anchora in summis periculis oratio, quæ est pia & ardens mentis ad Deum elevatio, ac quasi quoddam cum Deo colloquium, quæ bona sunt precantis, & quæ sunt mala deprecantis. Ideò Josaphat dicebat, ut habetur 2. Paralip. ca. 20. Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te. Inde memoriæ proditum est, quum M.

Antonius cognomento Philosophus, bellum adversus Marcomannos & Quados gereret, Romanusque exercitus ardore ac siti laboraret, ad eum consilii planè inopem præfectus prætoriis cohortibus venit, eique fertur dixisse: nihil esse, quod ii qui Christiani nominantur, precibus impetrare non possint, habebat autem in exercitu legionem unam Christianorum militum, quâ re cognitâ, M. petiisse ab iis, ut Deo suo supplicarent, quod cum fecissent, Deum eos exaudisse subitò, percussisseque hostes fulmine, ac Roman. pluvia recreasse, Romani ad Christianorum preces largo imbre per Christi nomen impetrato, omnes in cœlum suspexêre, ut non minùs hoc miraculum oculis animisque haurirent, quàm sitibundo ore aquas; deinde scutis galeisque subjectis sorberent largiter, equisque ad bibendum darent, interea crebri fulminum ignes aqua & grandine misti tantum terrorem barbaris injecêre, ut ejus belli victoria præter spem penes Romanos esset, certè tantæ miraculo rei attonitus Marcus edito, Christianos honore effecit, ipsamque legionem ad perpetuum monumentum keraunobolon appellavit. Epitome Xiphil. 1. Dionis in M. Ant. Capitol. in Marco.

243 Quando itaque quilibet timoratus & prudens judex, tùm & quicunque alius harum rerum lectione vacans, prudenter intelligere potest, quot judicium & censura hæc deceptionibus ac errorum tricis subjecta esse possit, quot molitionibus ille se impostor insinuet facilè, quo aut reum eximat, aut insontem judicio implicet, adeoque judicum interdum insidietur animis, ut illi timeant ubi non est timor, non timeant ubi timore opus sit, quibus omnibus omnipotens Deus cujus & causa agitur imploratus & mederi vult, & accurrere non tergiversatur, ideò

ideò hanc oratiunculam exempli saltem gratia ad calcem hujus operis subjicere placuit, quemadmodùm in Actis Apostolorum in fine capitis primi constat esse factum.

ORATIO.

JESU Christe, Deus meus filii Dei vivi patris nostri omnipotentis, te in functione hac justitiæ tuæ uti ducem, patronum, ac Imperatorem ejusdem suppliciter adoramus, ac in testimonium omnis tibi compertæ veritatis humilimè contestantes imploramus, coramque te asserimus, quod hanc quam præ manibus habemus aquæ probationem, neque in ullius legis prævaricationem neque in majoris vel minoris Magistratus seu potestatis ullius contemptum, neque temeritate vel levitate consilii proprii, neque inscrutationem vel tentamen majestatis gloriæ tuæ, sed de mera necessitate, in hoc genere summi ac occultissimi delicti mobilitateque conceptarum probationum assumamus vel exercere intendamus.

Te itaque, quem sanctorum patrum testimonio, ac sacræ paginæ historia testante taliter ex fide invocatum dubiis sæpè rebus affuisse, veritatique latenti lucem splendoris tui in confusionem omnium inimicorum tuorum impartivisse didicimus, in virtute sanctæ obedientiæ, conscientiæ ac officii nostri tremebundo ac venerabundo prorsus affectu lefflagitando imploramus, confirmare digneris super hanc creaturam manifestationem gloriæ tuæ, & fortis ultor domine Deus reddens retribue, ut si rea sit perduellionis læsæque majestatis tuæ, fidem abjurata ad inimicum & hostem nominis tui fœdifraga deflexerit, te juvante, qui solus potes omnia, elementum hoc tuum aquæ respuat, aversetur, ac

ac non ferat eandem, naturæque ſuæ oblitum ſupra ſe ut plumam elevet, neque ut ſolet demerſionem patiatur circa illum aquæ lavacrum regenerationis & oblatæ ſalutis deſpiciens, hoſtilibus perſuaſionibus & impoſturis locum dans, pactum abrupit, & ad deos abiit alienos, quocircà ad ignem ſit condemnanda. Ediverſò verò, ſi vel falſis criminationibus oppreſſa, vel paſſione errorum detenta fidem datam à te non dimovit, neque ad hoſtium caſtra confugit, ſed ſacrum illud character in baptismate illi impreſſum inviolatum adhùc tenet, licet nobiſcum aliàs infirma ſit peccatrix, judiciumque ultionis ſit demerita, tamen in virtute juſtitiæ (miſericordiæ tuæ dulcore ſemper temperatæ) te, in nomine tuo, tuique ipſius gloriæ, ea quâ humanitùs eſt poſſibile devotione & attentione exoramus. Confirma hac in parte innocentiam ipſius, neque cæterorum erratorum intuitu hoc loci vindictam adverſus eam adſumito, ſed patere, ſatage quæſo, ac placere tibi modis omnibus exoptamus, omnipotens ac æterne Deus, ut elementum hoc tuum judicium ſit hujus occultiſſimi reatus ac ruptæ fidei adverſus te detegendæ manifeſtum. Id quod non ſolum fuerit pro magno revelamine & adminiculo hujus deteſtabilitatis agnoſcendæ omnibus in officina judicandi exiſtentibus in nomine tuo, ſed etiam confuſionem ſicque terrorem pariet maximum, ne ſeductioni huic ac tentaminibus hoſtis locum dent in poſterum, dùm diffidationem illam quam contra te fecerunt dæmoni in ſecreto publicè compertam, ac in facie totius populi conteſtatam eſſe norunt apertò. Tandem verò, juſtiſſime pariter ac miſericordiſſime Deus, qui ſuper multa & magna Iſraëlitici tui populi peccata olim multum ſæpè indignationem concepiſti. Inprimis verò ad hoc maleficiale crimen eorum ſuper omnem furorem excan-

candescens conturbatus es, benedictionibusque eorum ea propter maledixisti cumprimis (cujus quidem per temetipsum ratio est tradita 1. libro Reg. cap. 2. Si peccaverit vir in virum, placari potest eis Deus: si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit proeo, quia honorantem me, ais, honorabo, & contemnentem me exponam contemptui.) Ideò mitte quæso, mitte ventilatores in medium degenerantium sagarum ac maleficarum omnium majorum & minorum, qui ventilent, perquirant, & dissipent illos, adveniat tempus ultionis eorum, & vicissitudinem ipse retribuas ipsis, contere eos tanquam vas figuli, & confringe eos, operiat ignominia facies eorum, qui venerunt alieni super sanctificationem domus tuæ, qui contemnentes semetipsos, gloriam & hæreditatem nominis tui in abominationem posuerunt, & cùm idolis contaminaverunt, qui ad irritandum te sacrificaverunt Baal, & libaverunt diis alienis, dicentes ligno: pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti, qui ad te verterunt tergum & non faciem, qui dereliquerunt fontem aquæ vivæ, fodientes sibi cisternas dissipatas. Obstupescant etiam cœli desuper, quia non timuit fornicatrix Juda, sed abiit & prævaricata est etiam amplius, facilitateque fornicationis suæ contaminavit totam terram, & mœchata est cum lapide & ligno, prosternens se sub omni ligno frondoso ut meretrix, & in omnibus his non est reversa ad te in toto corde suo, sed in mendacio induravit faciem suam super petram, jurans in his qui non sunt dij, & mutans gloriam suam in idolum. Non permitte domine illum devastatorem diutiùs obtenebrare & persequi regnum tuum, non patiare illum bonis adeò insultare cordibus, constringe catenis impotentiæ libidinem ipsius, tibi vindictam, & tu retribue. Nos opus manuum tuarum, duc nos in viam mandatorum tuorum

rum, doce nos justitias & judicium tuum perfice de manu nostra, suscita ergò & extimula spiritum omnium magistratuum in detectionem & detestationem omnis hujus impietatis degeneris, fortis ultor domine exercituum reddens retribue, pone in pondere judicium & justitiam in mensura, subvertat grando tuus spem mendacij & protectionem eorum, aquæ invadent & deleatur fœdus eorum cum morte, & pactum cum inferno non stet ampliùs, ut & omnis Israël timeat & nequaquàm ultra faciant quicquam hujus rei simile. Consecrentur manus nostræ in ultionem hujus detestabilitatis hodiè, unusquisque in filio, in fratre, in proximo ac vicino suo, ut detur nobis benedictio tua. Tùnc timentibus & venerantibus nobis in omni tribulatione & angustijs nostris nomen tuum, orietur nobis sol justitiæ, & sanitas in pennis nostris, egrediemur & ingrediemur, & saliemus sicut vitulus de armento, & calcabimus impios cum fuerint cinis sub planta pedum nostrorum, occupabit salus muros nostros, in pace & abundantia possidebimus filios nostros, inebriabimur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis nos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimur lumen filii hominum in tegimine alarum tuarum sperabunt, & tu domine exercituum spem nullius irritam esse sines. Tùnc benedicent omnes terræ dominum, laudabunt inimici domini dominum exercituum. Tùnc misericordias domini in æternum cantabimus, in generatione & generationem annunciabimus veritatem in ore nostro, &c.

Amen.

Gui-

Guilielmi Adolphi Scribonii Epistola de Purgatione Sagarum super aquàm frigidam Projectarùm.

CUM die vigesima quinta Septembris, Prudentissimi & Doctissimi Consules, ad vos Lemgoviam venirem: biduo post, die Veneris videlicet proximo ante ferias Michaëlis anni hujus curentis 1583. tres Sagæ sive Veneficæ ob plurima & nefanda à se commissa peccata, Senatusconsulto extra urbem ignis flamma occisæ fuerunt: ejusdemq; diei vespere tres aliæ protinus, quas illæ priores magistratui ceu socias, & suæ factionis consortes indicassent, à lictoribus comprehensæ, & carceribus mancipatæ: sequente autem die circiter horam pomeridianam secundam ad explorandam rei veritatem ante portas urbis in aquas projectæ fuerunt, ut videretur, num submersum nec ne ituræ essent. Nempe pedibus manibusq; ligatæ, & vestibus prius exutis hac ratione vinctæ erant, ut dextri lateris manus sinistri pedis pollici, & vicissim sinistra manus dextro pedi arctè colligaretur, ut ne minimum quidem se aut corpus suum movere possent. A carnifice deinceps in flumen, millenis aliquod hominibus aspectantibus, & singulæ quidem vice tertia conjectæ ei instar trunci alicujus lignei innatabant, nec ulla earum submergebatur. Et quod miretur aliquis, cum è carceribus per civitatum singulæ ad dictum examinis locum in singulis carris eveherentur, pluviosa admodum tempestas jam ante orta, quamprimum, eo ipso fere momento quo Sagæ istæ aquas contingerent, remittebat, adeo, ut dum illis supernatarent, ex improviso Sole splendente cœlum omninò esset serenum. Iis autem denuo extractis subitò iterum pluere encipiebat.

Huic ego spectaculo cùm interessem, rei visæ novitatem summopere admiratus, utpote quæ in aliis Germaniæ partibus vix audita esset: de examinis ejusmodi causis & rationibus novisse aliquid cupiens, nihil certi rescire potuit, sed dici tantùm intellexi ex observatione quidem nonnullorum populorum hanc præterita æstate consuetudinem introductam esse, ut si quæ sint Sagæ aut Veneficæ, vel saltem artis & societatis illarum ob antegredientem quandam revelationem suspectæ, ea prædicto modo examinentur, & quæ aquis su-

per-

pernatent, nocentes putentur, quæ verò submergantur, liberæ & insontes scelerisq; puræ credantur: nec tamen ullam hujus judicij sufficientem causam dare posse.

Vehementius itaq; rem indies demiratus cogitare cepi: an Physica aliqua & naturalis ratio hujus præsertim rei, quæ humano consilio atq; judicio excogitata introductaq; fuisset, inveniri & describi posset. Idq; eam maximè ob causam, quod vos prudentissimi & doctissimi Consules, præsentib. aliis consularibus à me peteretis, ut quid mihi hac de re videretur, significare, & vobis descriptum communicare vellem. Fateor itaq;, nec enim negare possum, rem hanc esse stupendam, & plurimum admirandum: non autem ejusmodi actionem esse puto, quam mente nostra haud conprehendere queamus. Quamobrem etiam meam qualemcunq; sententiam, minus gravatè pro ingenii quod in me est tenuitate annotare volui, aliis eruditoribus occasionem præbiturus, ut illi propositam quæstionem caput hominis & vitæ discrimen concernentem, melius meliusq; perpendere & declarare studeant.

VVierus Philosophus Medicus libr. 6. de præstig. dæmon. cap. 7. hujus consuetudinis mentionem faciens, eam nihili faciendam, & ceuream sive indicationem sæpe fallacem contemnendam esse concludit. Nullis autem quæ videam certis argumentis sententiam suam tueri & defendere potis est. Neq; ullum quoq; speciale in eo cap. proponit exemplum, quo testetur hanc Sagas cognoscendi & probandi experientiam fallacem & incertam esse. Quamobrem VVieri testimonio nemo satis arguere poterit rei quam explicamus futilitatem & incertitudinem.

Præterea ante VVierum Iurisconsulti quidam veteres, id quod te in primis Claris. & Doctis. Domine Cothmanne mihi monstrante, è lectione illorum observavi, ejusdem rei mentionem fecerunt, sub titulo vel nomine purgationis per aquam frigidam. Cuiac. in com. 2. super lib. 1. de Feud. Gerh. Nigri hoc judicium aquæ frigidæ definit, indicans hoc in Longobard. prius usitatum, sed denuo exolutum fuisse. Iodocus insuper Daumhoude. Brugens. in rerum crimi. praxi cap. 43. Eodem, inquit, pene tempore & aliæ purgationes & vulgares fuere receptæ quibus à præsumtionibus & suspicionibus diffamati & delati purgabantur. Nempe cum candens ferrum vola manus compresserant, aut cum super ignito ferro nudis plantis incesserant, hisve similia; de quibus purgandi formis multa donata sunt à principibus privilegia Flandriæ. Porro Gandensibus civibus à Comite Flandriæ indultum privilegio fuit sese purgare aqua frigida, &c. Earundem purgationum meminit Didacus Covarruvias à Leyva Toletanus Archiepis. Hispan. lib. 4. cap. 23.

Phi-

Philarchus insuper refert in Insula Ponto genus quoddam esse hominum, qui propemodum omnes artem norint Magiæ illicitæ & præternaturalis: eorumq; indicium esse imaginem in altero oculo equinam, in altero autem gemina pupilla, qui nulla ratione possint in aquis submergi, ut maxime pluribus etiam vestimentis aggraventur & onerentur. E quo cognoscitur in Ponto quoq; usitatam fuisse consuetudinem purgandi Sagas per aquam frigidam. Et alii plures eandem prugationem describunt. Sed verbotenus tamen illi definiunt potius, quam vere interpretantur, qua de causa hæc maxime purgatio adhibita sit. Nulla enim Catholica sive constans aut firma ratio additur. Equidem vero quod vidi diligentius perpendens censeo, si nec ego, nec VVierus: nihilominus tamen alios forsam causam aliquam purgationis invenire posse. Quod enim hominum logicæ intelligentiæ subjectum est: ejus quoq; causa aliqua, si non omnino certa, attamen probabilis inquiri potest: qua etiam, si certa desit, mens humana acquiescere solet. Sagarum verò illud examen humano consilio judicioq; introductum est. Ergo non dubium, quin certis de causis & argumentis excogitatum fuerit, ut maxime prisci illi autores ista suis descriptionibus non addiderint.

Omnium proinde Academicorum Peripateticorumq; Philosophorum unanimis & concors hæc sententia est, leuta ferri sursum, & superiorem quenq; locum petere: gravia verò deorsum ferri, & inferiore semper loco pro suapte natura gaudere. Vnde fit, ut vel maximum lignum propter raritatem essentiæ, quam levitas consequitur (omnia enim rariora sunt quoq; leviora) aquis supernatet: lapis autem, sive plumbi portio vel minima, ad fundum feratur. Ex hoc igitur fundamento physicorum propositæ quæstionis sententia deducenda & concludenda videtur: quare videlicet Sagæ potius, quam aliæ mulieres super aquas ferantur, nec submergantur. Atqui objecerit quispiam, opinor, protinus eandem esse & materiam, & formam corporis Sagarum, quæ sit aliarum fœminarum: easdemq; qualitates à primis ortas, quo ad levitatem & gravitatem. Si igitur Sagis levitas quædam adscribenda sit, non minorem quoque aliarum mulierum concedendam esse. Quamobrem aliud principium ad quæstionem nostram constabiliendam assumendum erit.

Dico itaq; Veneficas prioris suæ formæ statum eo ipso tempore protinus amisisse, quo necessitudinem cum Satana & familiaritatem inierunt, nec amplius esse tales homines, quantum ad formam interiorem, quales ante fuerunt: adeoq; novam prorsus formam assumere. Sagæ scilicet definiri possunt homines essentiam Diaboli, à quo ob sidentur, participantes. Malus enim iste genius, spiritus & rex aëris, qui causa & origo est delictorum peccato-

rumq; omnium, corda malarum istarum mulierum, & partes reliquas universas ita occupavit, ut totus per totam illarum essentiam, essentiaq; partes singulas substantialiter sit diffusus: imò ut tantisper, dum pœnitentiam veram haud egerint, & omninò resipuerint, non possit ab ulla corporis earum parte abesse. Unde fit, ut ubicunque moveantur, hunc secum gestent, ideoque nihil quoque boni amplius cogitare aut efficere, sed pessima & deterrima quaque scelera & flagitia perpetrare, peccataq; enormia committere soleant, nihil nisi detrimentum atque pernitiem aliarum creaturarum molientes. Quamvis enim nonnunquam bonitatem, pietatem, sanctimoniamq; nescio quantam simulare videantur, adeo ut vel Dei Opt. Max. mensam cum aliis accedere interdum non vereantur: id quod observatum fuit in quibusdam, quæ primis quoque diebus postquam id fecissent comprehensæ fuerunt: id fit ex instinctu tantum & permissione Satanæ, ut aliis hominibus ipsarum malitiam non sentientibus, eas diutius in retibus suis retinere & magis magisq; decipere possit, & ne vel ipsæmet Veneficæ omnimodam Satanæ, quem amicum suum familiarem agnoscunt, malignitatem animadvertere valeant.

Quæ cum ita se habeant, nemo utique dubitaverit, quin & totius corporis ipsarum facultates & potentiæ prorsus immutatæ sint, ac pristina earum forma perierit. Mali autem ingenii natura planè spiritualis est, ætherea, sive etiam si placeat, aërea, levissima, in omnem locum sublunarem celerrime permeabilis. Quapropter putaverim ipsum in Sagarum corporibus residentem sua essentia spirituali atque volatili sive levissima, longissime etiam leviora illa reddere, quam vis hoc ab aliis non deprehendatur: vel potius ita attrahere spiritu suo ipsis essentialiter infuso ac inhærente, ut per ejus levitatem sustentata, nolentes volentes, sub aquas ferri non possint. Argumento est & documento, ut mihi videtur plane verisimili: quod eas sæpe numero in sublimem usque aërem trahat, quibus pro sua alioquin corporata quam obtinent natura, eo usque ascendere impossibile futurum sit. Quod si verò hoc imaginarium & falsum esse quis putet, utpote quòd ita contingere sua tantum modo imaginatione sibi persuadeant: experientiæ contra argemento nitor, quæ sæpissime testata fuit, homines etiam quos cum malo spiritu ullam habere conjunctionem nemo unquam deprehendisset, ab eo ex una platea in alias longissime dissitas, aut sæpe quoque ex urbe aliqua vel pago in campos sive remotiores, prius in aërem sublimiorem quasi capillis subjectos, violenter projectos fuisse: ut tum alibi, tum Marpurgi aliquoties contigisse rescivi. Atqui exempla sunt odiosa. Verum

enim

enim vero facile objecerit aliquis, si spirituali levitati adscribendum sit, quo minus venefica mulieres, quam alia submergantur: purgandi tamen hanc rationem esse incertissimam & fallacissimam. Quandoquidem & alia spiritum suum ita forsan cohibere possint, quo facilius aquis supernatent. Quemadmodum videmus eos, qui spiritum corporis diutius in se retinere & cohibere valent, longinquius etiam & diutius natare posse. Atqui compertum & exploratum est omnibus, natationem non tantum à spiritus cohibitione, sed multo magis proprio & validiore corporis partium motu effici & meliorem fieri. Cum verò Saga & alia innocentes mulieres eodem modo vinciri & ligari soleant: nec magis nec minus ha quàm illa & vicissim corpora sua movere possunt. Et spiritus sive aër exterior, quam qui natare solent attrahunt, aliis non minus intercipitur aut excluditur quàm Sagis, & hisce contra non magis intercipitur quam illis. Attamen ista qua innocentes sunt, qualemcunque spiritum attrahant, submerguntur. Quippe experientia testis est, omnes illas, qua non submersa fuerunt, deinceps spontanea confessione se reas aut nocentes esse significasse. E quibus satis palam liquet error VVieri, qui contendit, ob spiritus cohibitionem quasdam non submergi, cum nihil prohibeat, quin & alia spiritum suum fortiter cohibere valeant.

Quapropter non video, quid absurdi inde sequatur, si dicam spirituali (Satanica nimirum) levitate sive spiritu aëris Sagas in altum trahi, aut in superficie aquarum servari, ne in iis pereant. Sed objecerit aliquis: Ergò ne igitur Satanas salvas & incolumes cupit hasce suas ministras? Quis amabo finis est illius attractionis sive supernatationis veneficarum? Nequaquam certe illarum conservationem spectat. Sed sua naturali potentia ex permissu Dei Opt. Maximi eas in aquis sustinet, fovet & trahit, non quidem in hunc finem, ut serventur aut liberentur: sed potius, ut Diabolica ipsarum necessitudo, & quod cum malis habeant geniis consortium, aspectantibus innotescat, ipsaque in majus & perniciosius corporis pariter & anima discrimen adducantur. Nempe Satanas ipse ceu minister & lictor ad jussa divina exequendum destinatus, eas hac ratione magistratui & universo populo indicare, earumque impietatem puniendam esse vult (imo nolens etiam volens cogitur) significare, ut mercedem suam, quam promerita sint, accipiant. Omnes enim eos, quos ad scelestum aliquid perpetrandum pellexit, tempore prasertim eo, quo divina Majestati visum fuerit, ad extremam pernitiem vel lubentissimè adducit. Causas igitur naturales purgationis Sagarum per aquam frigidam quarentibus non prater ratio-

rationem ego dixerim: Causam efficientem illius esse Spiritualem in ipsarum corpore quæ à simili in eo contenta levitate oritur attractionem: Causam vero finalem, ut natura talium hominum manifestetur. Cum enim spirituum substantia mortalium visionem effugiat (neque enim ullus vel tractabilis vel aspectabilis est) proposita purgatione tanquam medio convenienti & idoneo, quod homines visu suo queant percipere, utitur, ut cujus corpus videre non possint, ejus tamen voluntatem & legationem cognoscant. Quibus consideratis non inanem omninò, & pro nihilo habendam esse duco, Consules prudentissimi doctissimiq;, vestram in civitate Lemgoviensi consuetudinem examinandi & purgandi Sagas per aquam frigidam.

Etiamsi enim in sacrarum literarum monumentis nullum expressum de hac quæstione præceptum legatur: inde tamen haud consequitur, hanc in natura quoque nullam habere originis suæ rationem. Infirmissima enim hæc consequentia est absurdissima: purgatio Sagarum per aquam frigidam in sacris literis non traditur aut præcipitur: Ergo nulla quoque naturalis ratio ejus dari potest. Multo ineptior est argumentatio. Purgatio Sagarum est contra naturam: ideoque non admittenda: Quia omne corpus hominis vinctum & ligatum non potest non submergi. Sententia hæc est ignorantium principia physicorum, qui docent: Multa contingere præter naturam quæ tamen non sint contra naturam. Et eo ipso quod præter naturam ista purgatio videatur, intelligitur aliquid singulare per eam significari: corpora videlicet Sagarum quæ non pereant aliter affecta & disposita esse quam aliorum hominum corpora. Item. Quandoquidem in Evangelio nihil de ea legitur: Ergo impia est & minime observanda. Multa sunt quæ nec præcipiuntur in Bibliis, nec prohibentur, & tamen suis de causis in Ecclesia à Theologis admittuntur, qualia sunt quæ ab iis dicuntur adjaphora. Nequaquam enim contra pietatem esse puto ejusmodi suspectos homines in aquis purgare: præsertim quia propter hanc unam purgationem nulla condemnari solet. Et hæc sunt prudentissimi & doctissimi viri, quæ ob vestram petitionem breviter meditatus fui. Salvum tamen Theologis, Jurisconsultis & Philosophis, quorum omnium hæc quæstio communis est, suum judicium liberrimè lubentissimeq; relinquens.

Scriptæ & datæ Lemgoviæ in comitatu Lippiensi, ex ædibus Domini Conradi Grothenii urbis vestræ Typographi, 4. Octobris Anni hujus 1583.


P. & Cl.

Vestra

Addictiss.

Gulielmus Adolphus
Scribonius Marp.

D. Her-



D. Hermanni Neuvvalds Exegesis

Purgationis sive Examinis sagarum super aquam frigidam projectarum in qua refutatur

Cyrinio Guilielmi Adolphi Sbribonij.

UNica ferè superstitio est, latissimè tamen diffusa, qua Diabolus Christianorum hostis infestissimus, genus humanum à Deo abalienatum ad se pertraxit, suoque imperio subjugavit: Etenim superstitionis lenocinio & securitatæ potentiæ & sapientiæ persuasionibus, si de arbore vetita comederent, primos parentes seduxit, & astutè se in eorum commercium insinuando exitio eos destinavit. Nec quiescit adhuc hodie spiritus ille nostræ pernitiei inhians, sed ut leo rugiens hinc inde vagatur, ut in explebilem perdendi famem sedet. Ad quod efficiendum potentia summa non destituitur, quandoquidem donum favoris & gratiæ divinæ amisit, haud potentiam, Dei tamen potentiæ subjectam suisque definitis limitibus coërcitam, ne in exitium nostrum quæcunque velit exequatur. Nam etsi potentia illa maxima & sublimis est, nec ulla super terram quæ cum illa comparari possit ut Job testatur: In rebus tamen externis homo plus potest *Cap. 4.* quam ille qui quocunque tempore, & quandocunque vult nisi corporeis obstaculis prohibeatur aliis thesauros auferre

potest,

poteſt, quod illi denegatum eſt, imò ne aſſumere ab offerente poteſt, Dei ſumma ſapientia ita decernente. Econtra Satan latenter ſe in cujuspiam phantaſiam inſinuare poteſt, niſi ſingulariter à Deo prohibeatur argentum aurumue auferre nullo modo poteſt. Et fur generali conceſſionis modo conatur ſi externis obſtaculis non impediatur, impetum in aliena bona facere: ſic eodem modo noſtræ ſaluti inſidias ſtruit, utroque tamen ſuis impedimentis circumento. Permittit illi quidem multa Deus ſed tunc tantum, cum ipſo tanquam inſtrumento ad gloriam ſuam & ſuorum ſalutem uti decrevit ut hiſtoria Jobi clarè docet. Ita enim omnia limitantur, ut ipſi gloria vel potentia creationis, pluviam rorem ſerenitatem vel tempeſtatem generandi vis non attri-
Cap. 14. buatur, quod ſolius Dei eſt, ut teſtatur Hieremias, ſed materiam ventorum, pluviarum & ſimilium agitare in hoc vel illud cœli clima provehere, omniumque quaſi horrendam inverſionem minitari Dei permiſſu poteſt. Fatentur ſæpè veneficæ ſe aqua in foveam fuſa & poſtea turbata tempeſtates & tonitrua commoviſſe, quod falſum eſt, & ludibrio plenum. Nam diabolus futurarum tempeſtatum tempus ex ſignis naturalibus obſervans imprudentibus illis perſuadet, ſe eas dictis mediis & verborum admurmuratione concitaſſe, idque ope & permiſſu Sathanæ, quo majorem reverentiam & metum apud illas ſibi conciliet. Quiquid igitur facit Dei decreto & permiſſu facit, hominum peccatis tale quippiam promerentibus, ne permiſſio mali notam ipſi inurere videatur. Teſtatur hoc D. Auguſtinus cum inquit: Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum & motionum, nihilque fit in tota iſtius creaturæ ampliſſima & immenſa Rep. viſibiliter, quod non de interiori inviſibili atque intelligibili aula ſumma Imperatoris

ris aut jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justiciam præmiorum atque pœnarum. Variè autem in hoc suo molimine rete illud fraudulentum & dolosum tendit, & ut majore operum suorum applausu favorem sibi conciliet, summè nititur Dei majestatem & potentiam ut simia imitari, quò facilius imprudenti plebi imponat. Quomodo olim in populo Dei & inter Ethnicos præsertim hoc tentaverit, declarant vetustissima oracula in multis locis celebrata, ut historiæ testantur: quæ etsi primum fuerunt loca vero Dei cultui consecrata tamen crescente hominum malitia, & diabolo ulterius ad impietatem instigante, in horrendissima ipsius cultui destinata degenerarunt delubra, in quibus ad labefactationem nominis & majestatis divinæ ipse colebatur, sacra fiebant, & de futuris & occultis respodebat. Horum exempla in medium proferre ob rei indignitatem & turpitudinem non placet, quibus insidias gloriæ & majestati ipsius olim struxit. Hisce temporibus etsi undiquaque verbi Dei lux nos circumfulgeat, non cessat tamen multorum animbas suarum imposturarum umaris dementare, eosque totos sibi mancipare idque specie dementationis callidiore. Mirum enim est in tanta divinæ veritatis luce nonnullos adhuc existere qui tam fœdissimè ipsius laqueis irretiuntur, ut hodiè in Magis & Sagis experimur. Quorum illi etsi tacito cum diabolo confæderati sunt pacto & minus etiam alios lædunt: tamen eandem cum Sagis & Lamiis pœnam merentur, quod artes impias contra Dei mandatum didicerint & exercuerint ut scriptura judicium illud tulit. In æquali igitur non debent affici supplicio in quos eadem pœna lata est. Delectari & ad beneficium adduci videntur sagæ ob vindictæ cupiditatem adversus lædentes: nonnullæ ob Venerem exercendam quamvis sint vetulæ: aliæ

ob comessationes & convivia itemque choreas ducendas: aliæ ob futura præsagienda occultaque revelenda & his similia ex quibus diversæ diversa sectantur quamvis plerunque proclives sunt ad omnia. Quæquam stupenda sint & piis auribus indigna, quivis per se facilè intelligit, nec vana hæc semper esse experientia satis superque declarat, quod hoc loco ulterius persequendum non duximus. Multa profectò efficiunt interventu illius pacti, non tamen quidvis prorutu succedit, cum vis illa à Deo sit refrenata & suis limitibus inclusa. Quod si non intervenerit frustra omnes pulveres characteres & conjurationes adhibentur, quæ etsi nullius sint momenti ex pacti nihilominus efficacia interdum expectatum sortiuntur eventum. Verum pacta hæc cum diabolo inita cum sint contraria legi divinæ, quæ Diis adhærere vetat, pugnent cum honestate tendant ad proximi exitium, magistratus non debet in hoc negocio judicis officium deponere, & cum exploratis connivere sed in eo potius totus esse, ut impura & diabolo mancipata cohors, à Christiana societate exterminetur, ne malum ulterius serpendo contagio tenaciore imprudentes polluat aut contaminet. Videndum tamen interim & summa circumspectione utendum, ne in suspectos aut alios reos proclamatos temerè animadvertatur non consideratis omnibus circumstantiis, sæpissimè enim in hac parte peccatum, non sine gravi animi dolore, novimus. Neque tamen hæc ita à me accipi volo, quasi ejusmodi diaboli mancipia nusquam existant aut capite plecti non debere existimem: sed quod sentiam in hisce puniendis ob multas caussas circumspectione accuratiore opus esse, ne vel communi famæ nimium concedatur, nec probationibus quibusvis levissimis & pietati contrariis locus relinquatur, ad quæ multos video inclinare & à firmio-

firmioribus & conſtantibus, ad infirmiora & ludicra confugere examina, quibus ὁ πονηρὸς συνεργεῖν videtur.

Cùm autem ad manus noſtras pervenerit Epiſtola quædam Guilhelmi Adolphi Scribonii publicè Lemgoviæ edita, in qua aſſerit licere Magiſtratui ad explorationem veneficarum eas, vinctis ad pedes decuſſatim manibus, nudas in aquam projicere, hac conditione ſi ſupernatent aquas, reas: ſi ſubmergantur inſontes eſſe. Operæ precium facturum me exiſtimavi, ſi in hoc examen aliquanto penitius inquirerem, quantum ingenii mei tenuitas pateretur. Ego ut nemini quicquam derogem vel mea aliis præferam, fateor rem eſſe valde arduam & inextricabilem, quæ cæco ignorantiæ impetu primum exorta, tandem conſuetudinis diuturnitate invaluit. Origo certè hujus ſolennitatis ignoratur, & tamen imprudentibus nobis ſeſe conſuetudo inſinuat, & obrepit, voluntatesque noſtras obſcurè primum, tùm etiam apertè ſibi conciliat: poſtremò tantum acquirit authoritatis & gratiæ ut regnet domineturque perinde ut lex & interdum lege vehementius. Nec ut ſcribit ille, conſuetudo ſolum præterita æſtate cœpit, ſed in Weſtphalia fermè antè annos octodecim eſt paſſim obſervata. Cæterum num rectè an ſecus factum ſit, & an Juriſperitis hæc per frigidam aquam purgatio probata & in more poſita fuerit, videtur eſſe indagandum & exquiſitius rimandum. Deinde quoque video cauſſas phyſicas in medium allatas proponi, quibus fides vel minima non erit adhibenda.

Nos itaque primum ſine tamen præjudicio aliorum doctorum & experientia plus confirmatorum de conſuetudine longo uſu recepta, diſſeremus, & citatas à Scribonio populorum conſuetudines examinabimus, utrum propoſito

demonſtrando ſufficiant, & an eædem prophanæ vel religioſæ licitæ vel illicitæ fuerint. Deinceps phyſicarum rationum pondera, æqua lance examinabimus & penſitabimus ne quid indiſcuſſum relinquatur. Difficile eſt fateor etiam prudenti invere, quid in re quaque verum aut falſum ſit, æquum an iniquum. Sæpè enim uſu venit ut tum amor tum odium, quibus in privatis controverſiis conſulti promoventur, tum etiam propria commoda adeo perſtringant eorum oculos, ut nequaquam verum intueri poſſint: atque ita propter præſentem cujusque aut voluptatem in amore aut dolorem in odio, aut cupiditatem in commodis, in nonnullis etiam peſſimum & abominandum præjudicium tota res diudicanda errorum tenebris involvatur. Aliter decet homines Chriſtianos in hoc negocio procedere, in quo non de caſſa aut vitioſa nuce agitur ſed circa hominum ſalutem cardo vertitur. Magiſtratus enim Dei vices ſuſtinens & ipſius juſtitiæ ſincerus æmulator ita debet officio commiſſo fungi, ne temerè aut citra rationem aliquid ſuſcipiat, quod ipſum reum criminis agat, aut ſanguinis humani rationem ab eo poſtulet. Fieri ſanè poteſt, ut exorto tam tumultuario diaboli balneo, quod totum humanæ ſalutis exitio abundat, plurimæ etiam inſontes ad ſupplicium ignis damnatæ rapiantur. Unde magiſtratus omnes placidè moneri debent, ut re benè & ad amuſſim perpenſa, nihil temerè aggrediantur quod cum aliorum ſummo fiat detrimento. Nemo autem cogetur noſtris aſſentiri (non enim decet in ullius jurare verba Magiſtri) ſed cuilibet liberum relinquetur judicium & meliora excogitandi locus. Nos ſi veritatem non planè attigimus dabimus certe operam ut non procul ab hac collimemus.

Quod attinet ad Jacobum Cujacium & Gerhardum

Nigrum

Nigrum in cujus librum Feudalem primum ipsi adscriptum is commentatus est, tenendum erit quod eo in loco à Cujacio referantur tria purgationum genera, per jusiurandum, duellũ, & tertiò purgationem, quæ fit vel per ferrum candens vel aquam ferventem vel frigidam & similia, quorum primum Canonicum appellatur, reliqua omnia vulgaria. Jusiurando tantum attribuitur locus in Feudalibus.

Purgatio vulgaris per duellum Friderici Imperatoris constitutione in certis casibus admissa impia à Cujacio esse dicitur: Apud Longobardos autem propter vetustatem in gente consuetudinem non potuisse abrogari fatetur Lintpardus eorum rex. Et in decretis eadem prohibetur, nimirum quod Davidis & Goliath duellum in specie probandum, non facit ut par lege habeatur, neque ea quæ in veteri testamento in figuram concedebantur, trehenda sunt in exemplum, ut Tyraquellus monuit. Præterea juri divino quoque est contrarium. Non occides. Non Deum tentabis: quando is qui justiorem caussam habet sæpè etiam occumbat & sub justo clypeo pereat. Tunc enim DEUS tentatur cum tentat aliquis ad aliquid pervenire, quod efficere non potest nisi per miraculum fiat. Per duellum autem quæritur ut vincat non solum absolutè fortior, quod naturale est, sed etiam justiorem habens caussam, etsi minus sit fortis, in quo fit miraculum contra naturæ ordinem. Huc respexit Martial: *Lib. I. in Epig. ubi Deciani dogm: lau.*

Nolo virum facili redimit qui sanguine famam,
Hunc volo laudari qui sine morte potest.

Hujus purgationis exempla in historiis multa passim occurrunt. Umbrici controversias exortas per duellum armati componebant. Qui enim adversarios interemissent justio-

Serm. Io. justiorem habere caussam censebantur ut refert Stobæus.
libr. 2. de Et Procopius scribit: ad urbem Romam in campis Nero-
bel. Goth. nianis stadii locum patentiorem fuisse, ubi singularia olim inita fuerint certamina. Pachymerius quoque vetusti moris fuisse scribit, ut imperatores, si quando dubii criminis rei essent litem duello dirimerent. Alii alia de his prodidere non solum apud Græcos sed etiam Romanos, quæ hoc loco omittemus, modo hoc alta mente fixum maneat, impia hæc esse certamina, neque patriæ conservationi accommodata, dum ob privatas principum inimicitias, resp. detrimentum capiunt vel funditus evertuntur.

Altera purgatio vulgaris fiebat per ferrum candens, cujus mentio quoque fit apud Sophoclem. Quod qui suspecti de crimine attigissent sine adustione insontes: qui adurebantur rei habebantur. Sic Cunegundis Heinrici secundi Imperatoris uxor de adulterio suspecta facta ignitos vomeres, pro ejus temporis consuetudine calcavit & undecies repetiit. Maria Augusta Otthonis tertii uxor, per ferri candentis experimentum de facti crimine fuit convicta, sumpto ab ea supplicio. Ipsa enim Comitem Mutinensem in amorem sui pellicere conata, postquam reluctari libidini suæ vidit, ira furens, se ab illo de stupro tentatam apud Otthonem insimulavit. Ejus rei admonitus Comes, totam ut erat, conjugi suæ, mulieri prudentissimæ patefecit: se citius millies moriturum quam tantum Imperatoris dedecus palam facturum. Proinde ipsam precibus obtestari, ut forti atque imperterrito animo apud eum mortui innocentiam sui purgaret. Neque ita multò post Comes irati & creduli Imperatoris indicio condemnatus pœnas capite dedit. Conventu inde populis ad Roncalias instituto, quo die jus viduis dicebatur, mulier processit, atque ex lege

Impera-

Imperatorem ipsum ad suplicium quod maritum suum injustè necasset postulavit, qua voce audita mirabundus Ottho: At tu quonam pacto inquit viritus quam jactas innocentiam comprobabis? cui illa, candenti lamina inquit: atque mox inspectantibus omnibus ferrum ignitum jussu Otthonis allatum, sine ulla offensione prehendit. Ea re Ottho confusus, se quidem pœna dignum esse dicere, verum ad eam subeundum spacium postulare. Tam mulier tribus vadimoniis dilatis. Atqui inquit Ego supplicio Reginæ contenta sum, cujus nefaria calumnia maritus meus est oppressus. Ottho muliere collaudata reginam cremari jussit ut Carolus Sigon. refert. Pachimerius *a* quoque testatur, se adolescente nonnullos massam ferream candentem, manibus citra noxam sustulisse, eoque modo innocentiam per miraculum testatam reddidisse. Cum alioqui antè usitatum fuerit, ut testes producerentur, jusiurandum deferretur, cum vitæ anteactæ consideratione & diligentiore exploratione. In Livoniam quoque hæc purgatio, à Templariis, jurisdictionem in eos habentibus introducta, populo pro laniena impia fuit habita, & ut ab eo jugo molestissimo immunes essent, res ad Honorium tertium pontificem est delata cujus mandato sublata & abrogata est. Et alibi Canon inquit, ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem ex torqueri à quoquam, sacri non censent canones. Et quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione præsumendum non est. Græci quoque sub Andronici Palæologi tempus, ad Ecclesiasticas controversias decidendas, ad ignis probationem confugerunt, sed eventu admodum infausto, ubi rem seriam nugis involvere ausi fuissent. Utriusque enim factionis libri in ignem medio templo extructum,

Lib. 7. de Otth. III.

a Lib. 1.

C. dilecti x. de purgat. vulga

C. consulvisti 2. q. 5.

ctum, cum invocatione justi super nocentem judicii divini, injecti simul combusti perierunt, iis qui justiorem habuerunt causam nihil tale sperantibus: ut Nicephorus testatur.
Lib 6. *Lib.* 3. *Metrop.* c. 34. Albertus Crantzius exemplum huic contrarium adfert, de Poppone quodam Dano contendente veritatem potius rebus, quam verbis comprobandam: Ille enim ignitam Chirothecam intrepidus, sine contractione vultus, aut ullius doloris significatione, ad monstratum locum cum omnium admiratione deportavit. Ad astantes verò dixerat: Cernite virtutem JESU Christi, cui parent Elementa omnia: quippe qui fecit cœlum & terram, & omnia in his degentia. Exempla hæc annotare placuit, quæ etsi in nonnullis veritatem patefecerunt, tamen ab illis judicandum non esse, omnes mediocriter docti norunt, & esse hæc impia & illicita ex Honorii tertii responso ad Livonienses meridiana luce clarius liquet. Testantur etiam historiæ, tempore Regis Manassis & Hircani multos per ignem transmissos horribili illo sacrificio esse consumptos, etsi nonnulli illæsi per
Deut. 18. eum transierint. Ritus hos in totum damnat scriptura.

De origine hujus purgationis à doctis nihil annotatum video: si suspicionibus indulgendum quicquam est, hæc ejus poterit esse origo. Diabolus Dei operum mirabilium μιμιτὴς vaferrimus, hanc durgationem forsan, aliquibus superstitiosa persuasione instillavit, ad exemplum trium puerorum apud Danielem in ignitum fornacem conjectorum, attamen propter veritatem & sincerum Dei cultum ne tantillum violatorum. Et cum Dominus, qui est ipsa veritas ignis specie, Mosi è medio rubo apparuerit, & dicatur in scripturis in habitare lucem inacessam, nomineturque ignis consumens, falsa de divinitate persuasione spiritus ille κακόζηλος horrendos ignis abusus invexit, quales fuerunt

in

in Ur Chaldæorum, Græcorum ἑστία, in latinorum igne ſacro, Veſtis apud Romanos commendato. Nonnulli per flammam ignis transmittunt pueros à malo præſervandos, quæ abominatio in ſcriptura quoque fuit vetita. Fuiſſe hanc conſuetudinem apud Amorrhæos & Ægyptios, ſcribit Moyſes Maymonis Theologus Hebræus, eamque in Ægypto à ſe obſervatam. Hinc ortum etiam puto, ut inexploratione veritatis per juſiurandum, adhuc adhibeantur candelæ cereæ incenſæ, more neſcio an ſatis probato. Phyſica eſſe poterit quod ignis omnia probat: Verum hæc conſcientias haud quaquam attingit, niſi Papiſtarum ignem purgatorium, ex orco revocare malumus, ad quem probandum citant etiam Pauli illud de probatione ignis.

Deut. 18.
li de myſt: Chald. & Sabæorũ.

His ritibus quadrant etiam conventus Magorum & veneficarum, quo tannis, ter locis peculiaribus celebrati, diabolo ſpecie hirci nigri ſeſe illis oſtentante & ſiſtente, ad exemplum veteris teſtamenti, in quo mares ſinguli deſtinatis feriis, ter quotannis ad cultum divinum congregebantur, hirco ad ſacrificium Deo gratum mactato, ignéque cremato, ut teſtatur ſacra ſcriptura. Scribit Bodinus Magos & veneficas Pictavii Anno 1564. morti addictas faſſas fuiſſe, ſe quotannis ter in maximum Magorum & veneficarum conventum proficiſci, & ad crucem quandam compitalem congregari ſolitas: Ibi prefuiſſe hircum nigrum ingentem, aſtantes vóce humana compellantem, in ejus ambitum ſaltare omnes, tum unumquemque poſteriores illius partes cum ardente candela obſculari: hoc facto hircum abſumi igne, ex cujus cinere ſingulas capere, ut eo bovem inimici necarent, hujus ovem, illius equum, hunc hominem languore, illum morte adficerent. Poſtremò diabolum voce terribili in hæc verba intonare: Ulciſſimi

Levit. 16.
Libro 2. cap. 4.

vos, aut mortem oppetetis. Ita singulos ope diaboli redire quà venerant. Ita operum Dei non tam imitator callidus, quam depravator pessimus est diabolus, tantum, ut sub boni vel sanctitatis specie imprudentibus imponat, gratiamque exitium eorum sitientem apud conplices suos ineat.

Tertium vulgaris purgationis genus fiebat per aquam ferventem vel frigidam quod an huic proposito stabiliendo conveniat, nunc ulterius re ita poscente inquirendum videtur. Scribit Cujacius & homines Christianos eo usos fuisse, ducto more, argumento nescio inquit anbono, à potione, quam stupri insimulatis mulieribus, dari *Num.* 5. jussit Moises. Illa potione sumpta, si mulier rea erat stupri, pertransibant illam aquæ maledictionis, & inflato ventre putrescebat femur ejus, eratque in exemplum omni populo: si polluta cum alio non erat, potio sumpta ei nihil nocebat. Et cum judicium aquæ frigidæ in purgatione veneficarum admitti debere, vel juris textus de hoc loqui velint libet penitius aliqua introspicere. Cujacius ut est brevis & succinctus his verbis, argumento nescio an bono, non videtur hanc purgationem defendere, sed potius Saxones, occidentales clam taxare propter imprudentiam. Sine dubio enim mens ipsius ex antedictis arguitur, & optime intellexit ritus veteris testamenti, & specialia illa mandata jam expirasse, neque amplius nos obligare. Addo, quod Sacramentum etiam, illa purgatio per aquam maledictionis facta, extiterit, quod sacramentum Zelotypiæ Theologis dicitur, & unà cum reliquis est abolitum. Deinde & dissimilitudo est in ritibus hujus purga-
Num. 5. tionis à Moise expressis. Nulla in hoc casu fiunt sacra, Deus non invocatur supra innocentem, non stabilitam

ratio-

rationibus habemus consuetudinem, nedum expressum aliquod divinum vel humanum mandatum: sed in temerarium & originis expers præcipitamur experimentum, quod carnifices Magi (quod cum multorum tamen pace dixerim) alicubi primum introduxerunt, populoque novitatis & præstigiosi hujus spectaculi avido, cum admiratione ostentarunt. Quis enim dubitet eorum plerosque & Magicis instructos esse artibus, quibus acies gladiorum obtemperat: globus ex Bombarda explosus non penetrat: qui torturis ea possunt explorare, quæ Magicis molitionibus abstrusa in sævissimis etiam cruciatibus reticentur, arte artem deludente. Denique summopere admirandum, quisnam præstigiator injectionem in aquam primus ostenderit, modum viamque ligandi decaussatim manus ad pedes invenerit, cum Moises aquam maledictionis severis ritibus bibendam jusserit, omissa inani super aquas projectionis scena. Damhouderius ut & Gujacius meminit purgationis per aquam frigidam, adhibitis consuetis funibus, quod de projectione in aquam cum adhibeantur propter submersionis periculum, intelligi debere non nego, an verò legitimo jure id fiat quæritur.

Quod Damhouderius hujus solennitatis testis citatur, quasi patronus & approbator hujus spectaculi, video ipsi injuriam fieri, præcedentia enim citantur, sequentia contrarium nimirum adserentia tacito pede prætereuntur. Inquat enim: Verum cum & istiusmodi purgationes, nihil habeant humanitatis, sed tyrannico animo, diabolicoque instinctu inventæ atque excogitatæ, ad divinæ potentiæ tentamenta recte vergant. Ideo non temerè Canonico jure prohibitæ sunt atque abolitæ, ne amplius iisdem uterentur. Ibi enim Lucius tertius mandat, ut indicia *C. x tuarum x de purgatio Can.*

 ejus-

ejusmodi peregrina & rebrobata non admittantur, ut potè quæ non satis sint ad purgationem, sed presbytero de homicidio accusato purgationem Canonicam per juramentum imponit. Idem etiam prohibitum est ex Stephani & Nicolai pontificum decretis.

Ad finem de purgat: Andreas quoque Alciatus, vir fide dignissimus, in libro de judiciarij processus compendio, de purgatione vulgari, hunc ritum abominatur & repudiat triplicem ob caussam, quod scilicet inventus sit diabolico instinctu & invidia fabricante, quod Deus in eo tentetur & innocens sæpè condemnetur.

Libro 4. cap. 23. Variar: resolut. Didacus Covarruvias meminit tantum purgationis per ferrum candens aut ignitum globum, eamque in more habuisse vetustas gentes scribit, sed probari eam ab illo ex contextu hujus non arguitur. Acquiescit enim primò in responso Honorii tertii ad Ecclesias in Livonia quæ hujusmodi tentamine à templariis jurisdictionem in eas obtinentibus gravabantur. Deinde ostendit ritum illum fuisse vetustissimum ex Sophocle Calimacho & Plutarcho. Et videtur ille mos ab Ethnicis, ut sacra habet historia defluxisse ad Christianos, quibus cum ignorarent verum Deum, Diabolus magis insidiatus est, quos pro nutu suo quocunque volebat seducendo flectebat. Adfert autem Didacus ex scholasticis duplicem interpretationem, quarum posteriorem scribit convenire Sophocli, nec alienam esse à responso pontificio. Fiebat illa purgatio alio modo, quandoquidem juramentum legitimum præcedebat, de cujus constantia & veritate, probationem cum ferro candente instituebant. Adhibito enim illo experimento, censebant illum dolorem nullum percepturum, qui veritatem dixisset, eratque apud illos certæ fidei, & innocentiæ signum maxi-

C. dilecti x de purg. vulg.

maximum, ab eo periculo illæsum evadere. Videtur hæc ratio cum juramentum præcesserit, probabilitatis speciem præ se ferre. Verùm & an hæc legitima sit purgatio doctioribus Jurisperitis & Theologis judicandum relinquo.

Hæc erant tria vulgaris purgationis genera, quæ ut initium habuere superstitiosum, sic & à rectè judicantibus fuerunt repudiata & explosa. Quomodo enim diabolus humano generi ad superstitionem proclivi, ea instillarit & experimento attamen prophano & fallaci insinuaverit ex antedictis luce meridiana clarius patet. Hoc unicum ille Præstigiator studuit & adhuc studet, ut homines superstitiosis ritibus addictos & implicatos, à Deo abalienaret, ejusque Majestatis & potentiæ umbram quandam imprudentibus suggereret, sibique hos consuetudine devinciret. Nec puto non standum esse his, quæ sacri Canones de hisce purgationibus prodiderunt, nimirum quod in his Dei prophanatio & tentatio sit, à quibus homo Christianus tanquam cane & angue pejoribus prorsus debet abstinere.

Etsi enim nonnulli Canones impietatis maculam circumferant & in superstitionis notam incurrant, tamen nihil dubitamus eis fidem adhibere, quæ cum sana religionis Christianæ doctrina consentiunt & vera falsis præferunt. Nec adeò rudes plerosque pontifices fuisse, aut ita res sacras eruendi curam, in iis deferbuisse credimus, ut nihil prorsus intelligerent, vel nequicquam in divinis scrutari conarentur, ignavo torpescentes ocio, cui major tamen pars indulsit. Sanè leges civiles non damnant aut pœna afficiunt eos, qui maleficiati à maleficii authoribus, aut aliis eadem arte instructis curam quærunt: Veruntamen sacri Canones, quibus fides in hoc non est deroganda aperte prohibent

L. condẽnare ff. de reg. Jud. L. nemo qui ff. de reg. Ju. L. nihil tam natur ff. de reg. Ju. C. admoneant 26. q. vult.

hibent ne homo incantatus aut maleficio infectus, contrariis maleficiis liberetur. Idem enim sacræ scripturæ normam retinet, quæ non solum è medio tolli jubet Ariolos, aruspices, divinatores, Magos & hissimiles, sed ipsos etiam damnat consulentes.

Psal. 45. Faciunt nobiscum in hac re D. Basilius, qui extremè de testatur eos qui Sathanam vel magos adeunt, & istis præ- *Hom. 8.* stigiis ad valetudinem abutuntur. Chrysostomus in Epistola ad Coloss. idem affirmat: Citius inquit mors homini Christiano subeunda, quam vita ligaturis redimenda. Hoc enim modo si corpus sanatum fuerit semper animæ vulnus infligitur.

C siper soctiarias 33. q. l. Occurrit hoc loco etiam Canon de nodandæ ligulæ artificibus, qua novi conjuges à conjugali officio impediuntur, à nostro proposito non admodum alienus: Inquit enim Canon si pro fortiarias & maleficas artes, occulto sed nunquam injusto Dei judicio permittente & Diabolo præparante concubitus non sequitur, ad Deum per humilem confessionem est recurrendum. Hic vetat Canon diabolicis modis nodum debere solvi, cujus nectendi modos ferè ha- *Libro 2.* bent infinitos. Vetustissimi hujus moris mentio fit apud Herodotum, ubi narrat Amasin regem Ægypti vinctum & impeditum ne rem haberet cum Laodice uxore sua, donec solennibus precibus & sacris Veneri promissis solutus esset. Artificium hoc in hodiernum usque diem usurpatur, neque solum hoc adultiores in usu habent per ligulas nodatas, seras conclusas, & pronunciata quædam verba, dum matrimonii sacra ante altare obeuntur, sed etiam pueri etiamsi pactum cum Diabolo nullum intercedat, & sortilegiorum sint imperitissimi, ipsis nihilominus nescientibus adest præsentissimus. Non quidem hoc ligulis aut aliis quibus utuntur

tur

tur mediis est adscridendum; sed diabolo ita Deo concedente, conjugii osori acerrimo, ut ad gloriam Dei instituta generis humani propagatio impediatur, aut alioqui inter conjugatos dissidia serantur, vel adulteria committantur. Aliis membris non item insidias struit.

Concludimus itaque purgationes ante dictas omninò esse prohibitas, & propter superstitionem & nominis DEI abusum, jure Canonico rectè esse sublatas. Nova illa & insitata arrident plebi, atque eorum fraus, quæ non tam promptè illis innotescit, stultorum mentes captas & irretitas detinet, quo minus veritati adsentiantur. Conscientiam hoc spectaculum sauciam reddit, nec potest fieri sine pœna peccati mortalis, ut Jurisperitus Rosella in lib. de casibus conscientiæ annotavit.

Nunc ratio postulare videtur ut simili modo in Philarchi & Wieri rationes animadvertamus, & an huic proposito demonstrando conveniant investigemus. Quod attinet ad Philarchum li. 1. de morbis mulierum, non nego ipsum (penes quem tamen fidem relinquo) prodidisse, quod vivant in Insula Ponto homines, qui imaginem equinam in uno oculo, in altero geminam pupillam apparentem habeant: & similiter, qui quamvis graventur tegumentis confertis, nihilominus sub aquas mergantur. Cæterum & hic rursum præstigiosum quid occurrit, necesse enim est, ut isti homines aut tales nascantur, aut postea tales evadant. Si tales nascantur vix effugiemus, quin fateri cogamur, Diabolum in generationis opere suas ostentare & exercere vires, quas soli Deo rectè adscribitur, sua mirabili potentia in hoc opus incumbenti, Non enim ipsi tantum indulget Deus, ut in consuetis naturæ operibus, & præsertim in hominis generatione per nutu quicquam possit fingere vel immutare, cum nondum etiam homines, dum in utero finguntur

tur

tur pactum illud cum Diabolo inierint, quod tunc primum fit, cum rationis & mentis compotes fieri incipiunt. Et quis putet eum ipsum in futura sua mancipia, tantum potestatis obtinere, quam Deus sibi solus reservat. Fatemur sæpè contingere, ut fœtibus signa aliqua imprimantur, quorum profecto sunt caussæ naturales, à subita & repentina per terrefactione, dum utero gestant mulieres; & quidem postremis mensibus pendentes, ut facies caprarum, cervorum, murium, cærasorum, & aliorum similium stigmatum, vel nonnullarum etiam rerum abominationes, ut felium & similium, quorum exempla quædam vidimus, alia ex aliis annotavimus. Etsi autem ista præter refactio & pavor, animi non corporis sit affectio, neque à matris imaginatione in fœtus animum inprimi possit: potest tamen temperamenti talis quædam fieri alteratio, ut certæ rei, ex qua consternatio orta fuit vel abominatio oriatur, vel impressio eo in loco fiat quem res ista in primis attigit. Occulta hæc quidem esse videntur, & humanis ingeniis imperscrutabilia, attamen si ad prædictas caussas animum applicamus, prorsus ἄλογα non sunt. Sic enim ex simili caussa infantibus morbi quasi hæreditario jure accidunt: ex pica gravidarum sæpè quoque contingit, ut à vino, caseo, & similibus abhorreant, quorum caussæ ex temperamenti similitudine erunt petendæ, uti temperamenti mutatio in nonnullis efficit, ut postea ejusmodi cibis assuescant. Hæc in natura positas habent caussas, equinæ imaginis aut geminæ pupillæ in Insula Ponto observatæ, omninò nullæ si à nativitate ortum traxerunt.

Si verò postea tales evadunt, in quæstionem venit, utrum possit ille spiritus unicam particulam ingeminare, aut novam conformationem priori adjungere, quod ipsi

æquè impossibile esse puto, atque prius. Si quid ejusmodi fit apparet persascinationem id esse tale, quod revera non est, quod ipsi familiare multis demonstrare possumus argumentis. Sic Simon Magus Neronem jusserat, ut curaret eum decollari, se verò tertio die resurrecturum. Fit decollatio, attamen per fascinationem oculorum in ariete, & sic tandem tertio die revertitur. Quo facto ardentius Nero Magiam coluit, & in honorem Simonis statuam erigi mandavit, cum hac inscriptione. Simoni Deo sancto, ut refert Cælius Rhodig. Et Sprangerus hominem Spiræ narrat cum se pudendis orbabatum este crederet, Medicos & Chirurgos ad se inspiciendum vocasse, quibus nihil tale visum, aut ullius vulneris vestigia observata sunt.

Lection antiqua lib. 13. cap. 59.

In maleo maleficarum.

Interim nullo modo negandum esse putavimus Diabolum post manuum stipulationem, oscula & amplexus corporibus veneficarum stigma quoddam, certissimum pacti signum injurere & imprimere, quo tanquam sacramento, eas ipsi sibi obstringit & arctius devincit Fatentur uno consensu hoc omnes, an autem omnibus in una parte corporis hoc signum figat, non adeò clarè liquet, etsi in diversis hoc ipsum moliri, ut facilius decipiat, veritati magis consentaneum videtur. Danæus scribit, ipsum iis tantum notam inurere, quos metuit pactum vel cultum suum deserturos aliis quos constantes fore sperat, non item. In viris notam ut plurimum apparere in dextro humero, inter labia, palpebris, nonnullis in sede, ut non revelentur, in fœminis ad femur, sub axillis, aut ingenitalibus. Ex hisce signis si alia præterea adsint indicia, nonnulli ad condemnationem procedunt. Cæterum ejusmodi stigmata, quæ cuti imprimuntur, quocunque id tandem modo vel tempore fiat, naturalem formam non abolent, neque

In dialog. de sortiar.

novam particularum immutationem in essentia efficiunt. Apparere quidem ejusmodi imagines, in illis, uti aspectantibus videtur non negaverim, sed an in aspicientis vel aspecti oculo eædem hæreant, ambiguum adhuc videtur. Rationi magis consonum videtur, apparere aliqua posse in aspicientis phantasia, quæ ab objecto præsenti non sunt, ut Aristoteles prodidit. Idem etiam alibi ex in somniis probat, in quibus sæpe apparent ea quæ nihil sunt. Eadem ratione possunt & Dæmones spiritus interiorum & exteriorum sensuum ita commovere, atque ita organis formas aliquas inducere, perindè ac extrinsecus occurrerent, non solum dormientibus nobis sed & vigilantibus, ut sic putemus, aliqua esse vel fieri, quæ non sunt nec fiunt. Sic enim immundorum spirituum subtilitas, & infatigabilis fraus, spectatorum oculos perstringere & variis modis illudere potest. Quod autem in phantasiam se ingerere possit, supra dictum memini. Vulgus putat ea signa in oculis tantum esse & ex contuitu eas cognosci & explorari posse contendit, propterea quod pleræque vetulæ aliorum obtutum effugiant, oculisque semiclausis conviveant, ne per signum quod oculis impressum falsò existimant, prodantur. Sed & hæc falsa convincuntur, quod juniores plerunque ingenui sint vultus, & cujusvis aspectum strenuè ferant.

lib. 2. de anima. lib de som. & vigil.

Veritati magis consonum videtur, quod oculos in aliorum præsentiam attollere vix audeant, id fieri propter conscientiam intus stimulantem, & de scelere conscio eos admonentem, Unde vultus etiam physicis rectè dicitur, mentis interius latentis index. Prodit etiam nonnunquam facies minus ingenua cum oculorum demissione fures sibi malè conscios, quararissimè fallit. Fieri denique potest, ut

ut falso persuasæ à Diablo, de signo quodam in oculis sibi metuant, conpressioneque eorundem revelationis aut proditionis periculum avertere studeant. Nam & inventi sunt, forsan ejusmodi farinæ homines, qui magnatibus in locis non adeò dissitis, hujusmodi explorationem fastidiosè pollicentes, paulò post turpiter se dederunt, experimenti falsitate deprehensa & patefacta. Profectò qui tales explorationes sibi unquam sumpserunt, vel pejores vel certè pares ipsis fuerint veneficis, quandoquidem de imposturis illis & variis diaboli delusionibus ipsis constitit. Utut sit tales imagines neque ab ortu existere, neque in jam formato corpore facta, sensibili immutatione postea exoriri, certo certius est, sed omnia potius diabolicis præstigiis cedunt & obtemperant. Quibus an sit standum ut certis quibusdam indiciis, cuivis judicio dirimendum relinquimus. Porrò si & hæc consuetudo purgandi per aquam frigidam, in ea Insula observata fuit, nihil hoc nostris rationibus derogat, quibus manifestè ostensum est, morem illum prophanum & superstitiosum extitisse, inter Christianos minimè ferendum. Ad manifestam enim impietatem mutum esse minimè decet.

Sunt & in aliis regionibus alia ejusmodi diaboli mancipia noscendi documenta, ut in extrema Livoniæ ora circumductio Lycaonum sive λυκανθρώπων, germanis Beer-wölffe/ tempore duodecim, (ut vocant) noctium, id est dierum proximè natalem Domini sequentium duodecim. Illi ad aliquot millia, eo tempore in unum agmen congregati, per sylvas, flumina, aliaque loca inculta hinc inde ducuntur, & improperè puerum claudum qui præcedit, ut dux, sequuntur, à procero viro agmen sequente & cogente ferreo flagello miserè cæduntur, ita ut longo post tem-

pore, vestigia & ex vibicibus relicta, in cute appareant. Exactis diebus duodecim, qui se luporum specie circumdatos falsò credebant, redeunt ad se, & priori hominis formæ restituuntur agmenque convocatum dispergitur. Hæc ita in Livonia fieri extra omnem est controversiam. Cæterum an revara homines in lupes vertantur videtur difficultate non carere. Bodinus hoc statuit exemplo Nabuchodonosoris in bovem, uxoris Lothi in statuam salis, virgarum quas Magi ad imitationem Moisis adhibebant, in serpentes, sociorum Ulyssis in porcos mutatorum. De Magorum Ægyptiorum, & veneficæ Circes apud Homerum in Odyssea artificio nihil dubitaverim, quin ita acciderit, sed tamen præstigiosè & fascini dementatione. Videri enim vult, diabolus se hoc posse, que Deo soli competit, & tale quid conspiciendum præbet, quod naturale non est, sed phantasticum, ut Saulis Phythonissa fecit in excitando Samuele, & Simon Magus apostolorum miracula falsò imitans. Corporea enim materia Dæmonis potentiæ, non subjicitur quantum ad transmutationem ipsius ad formam, licet Thomæ Aquinati aliter visum fuerit. Augustinus tamen testatur diversum his verbis: Non est putandum, inquit, istis *Lib. 3. de trinit.* transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam sed soli Deo. Neque concedit Deus, ut in hac communi rerum propagatione, aliquid ex materia & forma producatur exceptis iis, quæ ex putredine generantur, ut ranæ, vermes & similia, quod non ex itidem composito proveniat, ita ut effectus non absimilis sit agenti. Interim non inficiabimur potuisse Dæmones, celeritate incredibili, virgis remotis, serpentes eorum loco subjicere aliunde allatos, astantium oculos perstringendo & decipiendo. Quæ de uxoris Lothi in saxum immobile mutatione

afferun-

afferuntur, ſacræ ſcripturæ & potentiæ Dei maximæ nihil detrahere poſſe puto: de transfiguratione Nabuchodonoſoris in bovem ambigendum cenſeo, neque ſatis apte ad luporum μεταμορφωσιν accommodari poſſe exiſtimo. Primo ſi ea facta eſt ſine dubio Dei potentiæ accepta ferenda eſt, quæ Diabolo eſt inimitabilis, neque λυκανθρωπίας demendationi patrocinatur. Denique ſcriptura in bovem transmutatum eum non affirmat, ſed ſicut bovem, communem cum brutis alimoniam habuiſſe annotat, ratione & mente alienatis, quæ integra Bodinus in transformatis manere ſcribit. Poſt ſeptennium enim rationis rurſus compos factus eſt, neque communis alimonia communem naturam vel ſubſtantiam eſſe arguit. Verùm non pertinent hæc ad noſtrum inſtitutum, placuit tamen ea attingere, ut palam eſſe quouſque diaboli potentia ſe extendat, & quomodo à ſe inſtructos, quamvis ex conventione aliter promiſerit in extremam pernitiem præcipitet. Meminit quoque Lycaonum Herodotus lib. 4. his verbis: Iidem (de Neuris loquitur) videntur homines eſſe malefici; dicuntur enim à Scythis, & ab ijs, qui in Scythia incolunt Græcis, ſemel quotannis ſinguli ad aliquot dies effici lupi, & rurſus in priſtinum habitum redire, quod tamen dicentes mihi non perſvadent. Ipſi tamen ajunt ita eſſe & dejerant. Quæ teſtantur, & authori huic omnia hæc videri fabuloſa & præſtigioſis ludibriis ex poſita. Per Magos & carnifices interdum harum impoſturarum ſtudioſos ſæpè veneficæ convocantur & in unum agmen coguntur factaque manifeſtatione produntur. Sed & hæ inveſtigationis viæ impiæ & periculoſæ, quandoquidem Diabolus nonnunquam, ſub innocentium ſpecie mentita ſe conſpiciendum exhibeat. Quamobrem ut cum Lycaonibus ſic dictis ludit falſa & imaginaria

 ſpe-

ſpecie diabolus, ſic & ementitæ & evanidæ ſunt illæ imagines equo geminæque pupillæ & veneficarum vel magorum oculis aſſimilatæ unà cum projectione ſuper aquas, in inſula Ponto uſitata. Verùm & hujus rei fides ſit penes authorem.

lib. 1. *Ger. Exegeſ. cap.* 17.

Projectionem hanc ſuper aquas ad alias res æquè ſuperſtitioſas adhibitam fuiſſe apud Irenicum legimus. Apud Celtas mos fuit pueros poſtquam nati eſſent galea tectos Rheno immergere, & ſi ſcutum fluitet, ut genuinam ſobolem educare: ſi verò à capite decideret, ut adulterinam, nec ullis dignam honoribus exponere. Hinc Gregorius Nazianzenus de Celtis loquitur:

κατά γυ-ναίκων.

Κελτοὶ μὲν χρίνουσι γόνον ῥήνοιο ῥεέθροις,
καὶ χρυσοῦ καθαροῦ ἄνθρακες εἰσὶ κρίσις.

Cernitur ut purum prunis ardentibus aurum,
Gurgite ſic Rheni pignora Celta probat.

Et alibi.

ὡς νόθον εὐγενέως ῥήνου κριθέντα ῥεέθροις.

Nobilis ut Rheni exploratus ſpurius amni.

Et Claudianus:

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

De hac purgatione Pius Bononienſis ſic ſcribit.

In annotationib. poſterio. cap. 23.

Audaces rapido Celtæ nova pignora Rheno
Explorant, non hac genitrix prius ubere largo
Alma fovet, vitreas fluvii quin venit adundas.
Lympha novum caput alta legit quod remigis inſtar

Umbo

Umbo tegit, fluviisq́ effulcit corpus alumni.
Et fœtum sic unda probat, lectumq́ jugalem
Damnat adulterii, fœde sic decolor igne,
Post dubios genitrix casus memor Ilithya
Accipiens sobolem gelidis in fluctibus ortam
Anxia despiciens cui nobilis autumat unda.

Nec videtur profectò aliud hoc fuisse purgationis genus quam de quo nunc agimus. Retulit hoc quidem Nazianzenus: Verùm hunc approbasse idipsum nullo modo credimus, cum notissimum sit eum omnes superstitionis fuisse osforem acerrimum, quandoquidem omnia appensa & amuleta extremè damnavit ut pote quibus diabolus cooperetur, nedum ut istius modi præstigiis patrocinatus fuerit. Inquit enim: οὐδὲν δεῖ σοὶ περιαμμάτων καὶ ἐπασμάτων οἷς ὁ πονηρὸς συνεισέρχεται. Nulla sanè fuit istius probationis puerorum origo alia, quam superstitiosa credulitas, & Dei tentatio persuasione malorum spirituum introducta & confirmata. Quis quæso audivit unquam spurior à legitimis dignoseendi & explorandi modum, cui nulla ratio, nulla lex vel æquitas suffragatur, sed tantummodo cæca & dementiæ plena consvetudo pro lege barbaro isti fuit populo. Neque mihi dubium est illam purgationem si non prior fuit (quandoquidem de origine nihil constat) ex hac originem traxisse, & ad explorationem sagarum superstitiosam adhibitam fuisse. Et puto hinc ortum esse proverbium quod refert Cælius Rhodig. Hæret aqua. Ulpianus id etiam de ijs *li. 8. ca. 2.* intelligi putat, qui in famia notantur, unde Julius Pollux πλύνειν id est lavare pro λοιδορεῖν id est convitiari & alterius nomen obtrectare, ponit. Nec alienum ab hac consvetudine est illud, papistis in more positum: Imaginem S. Petri

tri projiciebant in aquam addentes hæc verba: Submergatur beati Petri imago si nobis apud Deum pluviam in imminenti necessitate non impetraverit. Id enim hodiernis ritibus non absimile est, dum veneficæ explorantur projectione super aquas ut quæ veneficæ non sint, submergantur, quæ veneficæ sint, aquis supernatente, contra naturæ ordinem: uti & imaginem ligneam si futura non esset pluvia, præter naturæ statum submergi hoc experimento volebant. Et quemadmodum in illo, sic & in hoc tentatio Dei est & superstitiosa quædam ad inventio. Illa exploratio sanè de ventura pluvia, nihil aliud est quam tentare Deum, dubitando de ipsius omnipotentia, & præfigendo terminum divinæ operationi, quæ ex sola gratia provenit. Inquisitio hæc per aquam frigidam, tentatio similis est, non mandata nobis divinitus, aut ullis rationibus suffulta: sed cum impia sit sortitur suos effectus, ob hominum malitiam & impietatem, quæ effecerunt, ut multa sæpè evenerint miracula à diabolo falsò edita, quæ ad homines superstitionibus excæcatos divinarum revelationum speciem præ se tulerunt, ut ex oraculis patet, item ex Magis Pharaonis & Simone Mago. Quid enim opus est elabi ad falsissima, quæ cum Dei prophanatione & hominum pernitie sunt conjuncta.

Simili prophanatione & Dei tentatione non carent experimenta his similia, vulgò & fœmineo sexui in more posita, de futuri anni vita num scilicet eo superstes mansurus quis sit præsagienti. Ad hujus rei explorationem in profesto novi anni panes azymos in cineribus omtime coquunt, coctos demum in aquam projiciunt: panis in hujus vel illius nomine factus, si fundum petit hominem eo anno moriturum divinant. Bene enim coctus panis contra naturam fundum petit, ut de cruce lignea antea annotavimus.

mus. Si in superficie hæreat, quod prorsus naturale est, in vivis mansurum. Alii hanc explorationem tentant in professto S. Matthiæ simili dementatione exæcati. De pane quo in mensa utuntur, bolos dentibus avulsos, pro hujus vel illius vitæ diuturnitatis exploratione in aquam similiter projiciunt: Boli qui fundum petunt non modo suspicionem, sed indubitatum de futura morte præsagium pariunt, in superficie hærentes securitatem pollicentur. Si in medio bolus suspensus maneat, morbum gravissimum portendit, attamen sine vitæ periclitatione. Hæc ita vulgus in communi habet usu & quidem sæpè infallibili eventu experimentis respondente. Autumat illud, quoniam negocii indignitatem & abominationem non agnoscit, rem esse licitam, nec ulla expiatione dignam: interim tamen hi non minus patrant facinus, quam ii, qui veneficarum corpora vincta & in aquam projecta, judicium de nocente vel innocente ferunt, uti illi de salute vel morte præsagium instituunt. Certum est horum experimentorum infinitum esse numerum, diaboli versutia humano generi, novitatis & rerum futurarum avido, obtrusum & callidè persuasum, non qua tutò his uti liceat, sed potius ut mentes à Deo alienatas, ad se superstitionum illecebris alliceret, & Idolatricis cultibus assuefaceret. Relatum quoque est à fide dignis, ipsas veneficas aquæ beneficio de futuris prædicere solitas, ita ut certo mihi persuadeam, hæc omnia sub lato Hydromantiæ nomine complexa teneri. Nam cum quædam aliquando consulta & rogata esset à puella, ut efficeret, ne sponsus, cujus odio post celebrata sponsalia ardere inceperat, reverteretur: illa altero die antè solis ortum puellam redire jussit. Rediens puella summo manè, Saga in procinctu habuit magnum lebetem aqua plenum, in cujus

jus superficie, omnium qui in navi erant capita emerserant. Illa inter alias sponsi faciem monstrari jubet, qua indicata, pugno caput premit, & statim submergitur. Omnibus demum è navigio redeuntibus, solus hic ex summitate mali deturbatus emansit. Quis hic non videt simile presagitionis exemplum, ex hydromantiæ impietate & vanitate desumptum quarum specie ferè infinitæ hominibus sunt à Deo oblatæ, & imprudentibus persuasæ, quasi fallere nullo modo possint. Verùm Sagæ elisio & immersio capitis in aqua caussa non fuit emansionis sponsi, cum fortè sine his cæremoniis, hoc malum ei accidisset, sed potius superstitionis pœna id meruit in incredula sponsa. Et diabolus si de futuro lapsu quicquam olfecit, sæpe numerò ita leves & infideles instigat, ut circa id tempus præstigiarum cultores in perpetrandis rebus malis consulant, & ultionem petant, quæ istorum potestati tamen minimè subjecta aut accepta ferenda est. Et callidus sæpè post factum (ne fallere posse videatur) suos ad hæc tentanda impellit & incitat, ut præsagitione, quasi divina & admiranda simplices inescet, & suis tricis fucum faciendo implicet.

Vetustissimum hunc probationis modum, videre quoque licet ex ipso Aristotele περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, ubi mentionem facit fontis in Palice Siciliæ, quem testatur aquas ad sex cubitorum altitudinem, ejicere, ut ferè omnem planiciem inundaturus videatur attamen eundem consistere: porrò jurejurando hunc pro sacro haberi solitum. Quæ enim cunque libet tabellæ inscribunt, inque fontem abjiciunt, ea si vero jurejurando confirmentur, natans in superficie tabula: sin secus veluti pondere depressa eripitur ex oculis, igneque corripitur perjurus. Quo circa fidejussorem capit sacerdos, qui justa nominis vindicta sacrum execrandum-

dumque si pejerarit asportet. Hæc probatio seu exploratio veritatis, proximè accedit ad eam cujus antea perignem in templo facti meminimus. An verò justa veritatis illa fuerit exploratio valde ambigendum censeo. Vetustatem admiror & relliquias illas veteris testamenti ad Ethnicos usque manasse, attamen dissimilitudinis quadam ratione, lubens agnosco. Etsi enim nonnunquam hæc experimenta, non exiguo temporis intervallo siluerunt, attamen penitus obliterari, diaboli vafricies passa non est: quin potius ut renovarentur eadem & denuò in staurarentur mille modis autor fuit sui studiosis, idque semper boni specie, ut imprudentioribus facilius imponeret. Imposuit quoque diabolus hominibus, per miracula aquæ frigidæ & ferri candentis, in ædificandis & fundandis locis religiosis, quæ non Deo sed ipsi ob horrendas superstitiones erant consecrata. Artificium hæc exercuit, in extruendo templo, quod in honorem divæ Virginis Mariæ adhuc visitur, in monte ante civitatem Hervordiensem, cujus initium fuit, sub Abbatissa Imme, & Episcopo Paderbornense Meinuverco, Papa Gregorio quinto, anno Christi I V. die S. Gervasii & protasii, qui dies in hodiernum usque diem dedicationi templi sacer est. Pastori cuidam aliquoties apparvit ipsa Maria propter quam apparationem locum pro sacro habere cœperunt, & à Maria miracula in eodem expectarunt. Pastor absque dubio instinctu diaboli visioni fidem fecit, cum magno aliorum applausu per aquam frigidam & ferrum candens, & non longè post populo Mariam in arbore quæ adhuc in ara templi est, specie columbæ conspiciendam exhibuit. Quo facto corrogatis undique subsidiis in honorem divæ Virginis templum in monte extructum est, virginibus dicatum & multis opibus locupletatum. Memoria dedicationis templi

adhuc visio apud accolas nominatur, ob visam eo in loco columbam. Hæc aut fabulosa omnino sunt, aut si ita acciderunt, illusiones fuerunt diabolicæ. Nusquam enim legitur in sacris vel Mariam θεοτόκον, vel ullum alium multis seculis antè mortuum in aliena specie sese conspiciendum & agnoscendum hominibus exhibuisse: statuendum certè est columbæ specie, Sathanam ipsum pastori & aliis illusisse, ut superstitiones diabolicas confirmaret, & animos hominum à vera in Deum fiducia abstraheret. Vel si revera columba fuit, facilè fieri potuit, ut hominum animi jam tum probationibus illis, per aquam & ferrum fascinati & in diabolicas superstitiones demersi pastori fidem habuerint, pro simplici columba Mariam monstranti. Quid enim non credit vulgus, superstitionibus irretitum & dementatum? Certe in ista ætate nihil frequentius fuit ejusmodi apparationibus, in primis si falsis dictis miraculis præstigiosè stabilirentur, quarum exempla & hic locus penè ante urbem Helmstetum si opus esset, mihi suppeditare posset. Verum miror prædictorum locorum incolas, in clara evangelii luce penè cæcutire, & probationibus illis diabolicis adhuc petulanter indulgere, forsan ob hæreditarium loci contagium, aut quorundam sciolorum consilium immaturum & pessimum.

Monuit me quoque alterius experimenti æque superstitiosi clarissimus & doctissimus vir Doctor Johannes Mellinger, Ducum Lunæburgensium Medicus vigilantissimus & felicissimus, quod in interfectis observatur, sanguine in præsentia occisoris ex vulnere exumpente. Exempla ex sacris desumpta huic suffragium nullum ferre possunt. Nam quod legitur sanguinem Abelis clamasse in cœlum, de
Gen. 4. hoc miraculo nonintelligitur, sed de Caini pœna postmodum

dum ipsi sustinenda quam temporaneam fuisse non constat. Physicam afferre videtur Martius Galæot tus ab insultu spirituum pendentem iisdem ab uno in alterum irruentibus. Occidentis irati spiritus in occisi sanguinem irruere & cum eo misceri, & è contra existimat: ideoque fieri, ut præsente occisore spiritus in occisi sanguine moveantur ac proprium corpus repetendo profluvium ejusdem excitent. Quamobrem hoc experimentum non ultra viginti quatuor horas differendum censet, quo temporis spacio spiritus in corpore adhuc superesse posse judicat. Cæterum mutuum illum in iratis spirituum discursum & subitam transmigrationem omnes mediocriter physicis initiis imbuti intelligunt, quod nulli spiritus quicunque tandem sint è corpore foras exiliant, nedum ut extra missi in aliud contrarium immigrent & eo usque lateant, donec is à quo exierunt se præsentem sistat. Reliquum igitur est ut superstitiosum & diabolicum quid sapiat, cujus suspicionem mihi auget, quod in locis quibusdam membrum resecent, arefaciant & fumo indurent, qua in præsentia occisoris sanguinem adhuc effundere sanctè affirmant. Profecto ex membro arefacto minus quam ex lapide sanguis effluet, si, ut perhibent, fit, quis adeò stupidus erit qui diabolicis fascinationibus hoc ipsum acceptum non feret? Verùm de hoc doctioribus aliis & suum esto judicium: quid nobis videatur, monitu præclari istius viri, reticere hoc loco noluimus. *In lib. de doctrina promiscua*

Quod attinet ad Joannem Wierum hominem præclarè de philosophia & Medicina meritum, nullæ profecto rationes in promptu sunt, quæ virum illum in experimentum adeò superstitionis æmulum pertrahere potuerint Fateor miserrimis veneficis illum esse mitiorem, defensionem earum commiseratione & pio zelo suscipere, ar- *Lib. 6. cap. 9.*

temque totam veluti imaginariam deludere, & extenuare, in quo tamen illius veſtigia minimè ſequenda eſſe aſſeveramus rei evidentiæ & ſacræ ſcripturæ authoritate freti. Etſi enim fatentur ſe multa perpetraſſe, quæ nec fecêre nec facere potuêre: tamen culpa eos hoc non eximit, quando diabolus clam (Deo ita permittente) venena ex pacto aliis ſuggerit, quandocunque nocere alicui propoſitum habent. Atque ita operis conjunctis effectum producunt, cujus uterque reus eſt, quemadmodum anima & corpus in unum juncta, ſimul peccare, & eisdem pœnis ſubjici rectè dicuntur. Sæpè quidem Diabolus tempore inſultus futurorum morborum exactè obſervans inſuſurrat ſuis mancipiis, ſe noxam intuliſſe eis quibus nocere decreverant, cum morbus nihilominus naturalis extiterit, id eſt à naturalibus cauſſis productus. Interdum autem non ſic ludit, ſed revera exhibentur toxica, perduntur fruges, procreantur grandines fulmina & ſimilia, ut eo tanquam carnifice ad juſtitiæ executionem utatur. Præterea extremam earum Idolatriam & ἀποςασίαν à Deo dummodo non tantum Diaboli imaginem colunt, ſed ipſæmet ſe ſupplices diabolis permittunt in eorum clientelam ſe tradunt, mancipia ſe futuras & ſe totas ad eorum obſequium compoſituras promittunt. Verùm de hiſce pœnis veneficis juſtè irrogandis, contra Wierum ſcripſerunt alii luculentius, ut Thomas Eraſtus, medicus noſtri temporis facilè princeps, Lambertus Danæus Theologus, Joannes Bodinus Hiſtoricus, ex quibus iſta poſſunt petere, qui ad rerum gubernacula ſedent. De pœnis ſi bono & ſano judicio decernantur nihil dubito, de experimentis hiſce futili conſuetudine inveteratis, non modo dubitandum, ſed potius ea ex rebus publicis maturo conſilio releganda eſſe cenſeo.

Wie-

Wierus certè rationem probationis per aquam propterea non admisit, cum videret eam nullis rationum momentis stabilitam, quæ rei adeò levissimæ & ludicræ in patrocinium venire possent. Nam quæ dicuntur & non probantur in naturalibus, eis fides omnino derogatur. Cum autem nulla præstò sit ratio naturalis, quæ levitatem & natationis aptitudinem inferre valeat, ut in sequentibus uberius demonstrabitur, mirari non desino stultæ ineptæ nullique innixæ probabilitatis nedum rationis fundamento, consuetudini tantum esse tribuendum, & tanquam oraculo standum. Fatendum est contingere ejusmodi sæpius Deo ita dispensante & connivente, ut superstitio, incredulitas, Dei cultus abusus apud infirmos stabiliatur: Negandum tamen interim non est, in his experimentis esse Dei tentationem & ordinis divini perversionem & sæpè divino permissu innocentes in periculum deduci, nonnunquam etiam nocentes, quos Deus exitio nondum destinavit, per submersionem servari. Et mirando fortè Dei consilio ita fit, ut spiritus ille ab aquarum submersione veneficas immunes conservet, ab igne ad quem rectè condemnantur liberare possit minimè. Humano ingenio hæc imperscrutabilia sunt? cui occulta sua judicia Deus non revelavit. Quid igitur cogit nos à signis prorsus illicitis & diabolicis pendere & ab illis divinas revelationes expectare? cum in medio sint inquisitiones, legibus & judiciorum probatis consuetudinibus confirmatæ: Quarum aliquot recensentur in malleo maleficarum, in quo nullam quoque reperio de hac purgatione literam. Ferri candentis quidem mentio fit, sed tentaminis & superstitiosi & reprobati. Bodinus quoque in totum hoc tentamen improbat & scribit hac via judicia, quæ sancta oportet servari Diaborum in scholam Magiæ mutare. *li. 4. ca. 4. dæmonomania.*

tare. In Germania hoc consuetum esse, cum ignominia nobis objicit: quomodo autem sit in hoc negocio procedendum quibus præsumptionibus & probationibus sit standum, satis fusè ab illo tractatur, & à quinque Inquisitoribus antea factum est. Neque laborem hunc suscipiendum puto, cui magistratus, ut benè suo fungntur munere incumbere debent: hoc tempore satis esse puto, ut moneantur, ne in posterum dictis præstigijs aurem præbeant, neque prophanis vel illicitis sese implicari & dementari patiantur. Neq; admittunt illud tentamen Constitutiones criminales Cæsareæ recentiores, non sine gravi caussa, cum sanioris mentis hominibus habitum sit semper suspectissimum.

Simili suspicione non carent alia experimenta, eadem vanitate polluta. Sic scribunt, quod terræ pugillus, ex tribus spatulis dum sepulturæ fovea apparatur, collectus, & sacrificio Missæ litatus, si limini sacrarum ædium supponatur, non patiatur veneficas templo egredi. Idem scribunt de ligno quercino, in quo suspensus aliquis fuit, vel seipsum strangulavit, si infra limen templi occultetur. Narrant quoque de caseo, confecto in forma caseoli nova, stannea nova, ex recenti lacte à singulis vaccis collecto pressoque in nomine alicujus veneficæ: factus hoc modo caseus, si perforetur armilla aliquoties totidem & stigmata in fronte illius veneficæ apparere contendunt. Ferunt etiam nostrates quod baculum scopis extractum transgredi non possint, cum aliqui baculorum seu virgarum ope ad distentia ferri credantur loca. Virgarum enim eximius fuit usus in sacris, quibus usi etiam sunt in suis sacrificijs, Persici Magi, & ij, qui in Cappadocia extiterunt. Iactatur etiam adhuc virga quædã aurea, quam nonnulli virgam fortunæ nominant, qua in exquirendis venis metallicis, aut occultis terræ

the-

thesauris multi perperam utuntur. Reperiuntur tamen aliqui, qui hanc physicis legibus subjectam autument sed longè falluntur. Quod autem veneficæ tactu baculorum evolant, ad loca dissita, diabolum ad ritum veteris testamenti æmulatum fuisse credo, in quo Moisis baculi, quo mare tactum dehiscebat & instar muri stabat, mentio fit. Proditum est Jacobum peculium suum impositis varicoloribus *Genes. 30.*
virgis canalibus illis, ad quas aquationis gratia adigebantur oves, auxisse & fœcundum redidisse. Sic legimus de versione baculorum Moisis in serpentes & similia, quæ rationibus non parent, sed Dei miracula sunt Diabolo revera inimitabilia etsi præstigiarum specie multa passim repræsentet. Hæc interservi ut imitatio illius ad res divinas notior fiat ejusque in imitando potentia ob oculos ponatur. Alii aliter explorationem instituunt, adhibitis certis Cæremoniis & pronunciatis quibusdam verbis, quibus peractis in unum agmen sunt congregatæ. Fieri hæc non inficias imus & superstitiosas has artes eventu sæpe non frustrari concedimus: Verum in controversiam vocatur utrum ejusmodi mediis, uti etiam possimus absque violatione conscientiæ, & phrophanatione nominis divini. Sed dolendum & detestandum est quod vulgus semel aliqua superstitione imbutum ad saniorem mentem redire vix possit. D. Hieronim. in vita S. Hilarionis scribit Sathanam, in puella Dæmoniaca quam obsidebat, locutum esse, dicendo, se non exiturum, nisi lamina ærea quam amator puellæ januæ subdiderat auferretur: Verum noluit Hilario in hoc consentire, superstitionis illecebras percipiens sed precibus apud Deum insistens à Dæmone puellam liberavit. Et ut Augustinus testatur, tales observationes tantò magis fugiendæ & suspectæ nobis esse debent quantò sæpius videntur effectum sor-

tiri. Nam ſicut vera & Chriſtiana fides mirabilia operatur in benè credentibus: ſic mala & falſa credulitas Deo permitte eventus malos interdum operatur vel potius demeretur. Quotidie etiam experimur in malè credulis, quos Deus ita punit propter malam fidem, & præſertim quos cognoſcit Dominus nimium adhærere aliquibus vanis obſervationibus contingere Dei permiſſu aliquos eventus conſuetudine vana receptos, & ita eos magis magiſque firmari in concepta opinione, ut major fiat cæcitas eorum, & in laqueum cadant, quem ſibi fecerunt. Talia enim quandoque permittit Deus contingere, ut patuit in Magis Pharaonis & alibi pluries vel ad probationem fidelium, vel iniquorum hominum dignam flagellationem, vel quia abutentes ſeu conſulentes propter malam fidem dati ſunt in reprobum ſenſum, & demerentur ſic illudi.

Quod ſcripſit à Wiero nullum proponi ſpeciale exemplum, quo ſententiæ propoſitæ contrarium adſeratur lubens fateor. Nos enim non poſſumus in arcana illa penetrare, quæ mentis noſtræ aciem effugiunt, & in ſolius Dei nutu & arbitrio, hæc ita diſpenſantis poſita ſunt. Nihil tamen dubitamus experimentum hoc frivolum eſſe & fallax. Et licet ponamus illud non fallere rejiciendum tamen erit propter manifeſtam ſuperſtitionem veræ relligioni oppoſitam, quæ habet rationem ſapientiæ humanæ non in vertate ſed falſitate ſitam. Animus enim hic intentus eſſe non debet ad τὸ ὅτι, ut eventus cauſſas & naturas altè ſcrutemur id eſt, ut intelligamus, quantum & quatenus homini Chriſtiano eo uti liceat, ſi vel Theologicè vel juridicè vel philoſophicè hoc argumentum expendatur & conſideretur: Quocunque autem me converto de inconſtantia hujus & lubricitate ſtatim cogitare me rei indignitas cogit. Atque

hæc

hæc de ſententia Wieri veriſſima hoc loco ſufficiant.

Nunc ulterius in Scribonii cauſas, quas putat phyſicas animadvertemus, quarum prima nihil phyſicum ſapit, ſed experientiæ & conſuetudini humana ratione invectæ potius nititur. Quod ſcribit primò ejus eſſe aliquam rationem, quod Logicæ intelligentiæ eſt ſubjectum, facilè agnoſcimus: Illud probandum venit hanc purgationem per aquam in noſtrum cadere intellectum, aut probari noſtro intellectui per ſufficientes quaſdam cauſſas ab hominibus inventas: Inventum ab hominibus hoc experimentum contendit, ejus vero rationes nullas eſſe divulgatas. Ego certè credo nullas eos habuiſſe: nam ſine dubio poſteritati eas reliquiſſent ut tentamini à ratione alieniſſimo, ſuffragia vel fidei aliquam ſpeciem conciliarent. Deinde quæ phanatica ſunt, impia, & diabolico inſtinctu reperta, non propriè ſubjiciuntur noſtro intellectui, aut hujus judicium ſubeunt: ſed extrinſecus perſuaſione vana invehuntur, & nullis cauſſis rationi probabilibus munita imprudentioribus inſinuantur. Notum eſt Medicis multa fieri in univerſa natura admirabilia per proprietates quaſdam, quæ Græcis ſunt ἀῤῥητοι ἰδιότητες vel ἰδιοσυγκρασίαι, in natura quidem cauſſam obtinentes, attamen propter τῆς μίξεως λόγον nobis ignotum, & naturæ involucris implicatum, non percipiuntur à nobis, immò potius ſupremo naturæ ſcrutatori relinquuntur. Præterea multa quoque eveniunt, quæ omnino aliunde, quam de rerum natura eruuntur neque hujus limitibus coërcentur. Atque ex eorum numero ſunt miracula, vel à Deo edita, divinæ omnipotentiæ documenta certiſſima, vel ea quæ ad horum ementitam imitationem à Diabolo ſunt profecta. Verum mandatum divinum hujus experimenti periculoſi habemus nullum: cauſ-

ſa phyſica in natura occurrit nulla : teſtat igitur ut quicquid hujus fit , id tantum à præſtigiis diabolicis proficiſci certò putandum eſt. Ex ſupra autem annotatis liquido conſtat, hunc morem purgandi veneficas, originem traxiſſe ab iis, quæ nunc citra mandatum imitari nullo modo licet. Nec conſuetudini locus eſſe poterit in hoc caſu, quod ſecundum jurisperitos ea ipſa rata non ſit, niſi conſenſus ille in populo tacitus rationabilis etiam ſit, id eſt jure approbatus, firmis & conſtantibus rationibus munitus, ne in juſta & prava morum uſu recipiantur ad corruptelam. Si enim pugnet è Diametro cum natura de quo in hoc caſu nihil dubitamus, non alleganda aut ſequenda eſt, ſed veluti tyrannis ex bonorum conſortio exterminanda. Ideoque judices non ſimpliciter debent conſuetudini aurem præbere, ſed ad hanc rationem naturæ convenientium trutinam, omnia diligenter perpendere. Nam lex inquit : Quod non ratione introductum eſt, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum in aliis ſimilibus non obtinet. Et decretalium lib. ſic ſcribitur : Conſuetudines quæ Eccleſiis gravamen inducere dinoſcuntur noſtra nos decet conſideratione remittere. Sed conſuetudo hæc quatenus Deum tentat Eccleſiæ oneroſa & impia eſt, nullas probabilitatis rationes præ ſe ferens. Refricat quoque hæc conſuetudo mihi ejus memoriam, quod adhuc in hodiernum diem uſurpatur in exploratione alicujus furti. Sumunt cribrum & forcipem quæ ad tonſuram ovium adhiberi ſolet, utrumque quidem hæreditario jure poſſeſſum. Forceps cribro inſeritur, & à duobus (eo, qui rem amiſit & qua conjurationem facit) forcipis extrema rotunditas, ſummitate digitorum utrinque apprehenſa, ſuſtentatur in medio aëre. Demum pronunciatis quibusdam verbis de ſancto Pe-

38. *ff. de Legib.*

I. tit. 4. *cap.* 1.

Petro & Paulo suspecti nomen exprimitur: qui si rem abstulit movetur & salit cribrum si non manet immotum. Hæc divinatio vocatur κοσκινομαντεία q: κοσκίνῳ μαντεύεσθαι. Alii idem efficiunt caseo, characteribus quibusdam notato, cum admurmuratione verborum: qui si reo exhibeatur, eum nullo pacto potest comedere. Alii alias ejusmodi vanas in usu habent explorationes, quibus non nego veritatem nonnunquam inquiri, non modo rationali, sed clam diabolo ejusmodi effectus moliente quibus semper comes-veritas non assistit, eum mentiri & non hominum perniciem quærere illius sit studium unicum. Et Pauli regula est non esse facienda mala ut eveniant bona. Cui consentit quoque determinatio facultatis Theologicæ Parisiis facta anno 1398. his verbis: Quod licitum est uti magicis artibus, vel aliis quibuscunque superstitionibus à Deo & ecclesia prohibitis, pro quocunque bono fine error. Boni quidem speciem habere videtur, inquirere veneficas & meritis pœnis inquisitas afficere. Verum non res mali sed pessimi exempli explorationes instituere impias & cum natura pugnantes, ubi aliæ præsto sunt, juri & æquitati ne tantillum reluctantes.

Levissimum ergo hoc argumentum è subjecto intellectus & ipsa consuetudine ductum hisce telis petitum labefactabitur, & facilè concidet, præsertim si logicæ intelligentiæ judicio experimentum dictum eximatur, ejusque erroneam & iniquam consuetudinem esse convincatur. Id quod satis clare ex anterioribus, nos demonstrasse, & nunc etiam ipsis legibus arguisse putamus, modo veritas apud bonos patrocinium obtinere poterit. Quæ enim inani præstigiarum specie nobis offunduntur quomodo in logicum quid cadunt, & rationi obtemperant? Quomodo consuetudines errore in-

vectæ & populo ſolùm propter rei novitatem probatæ in legis naturam abire poſſunt? Deſinamus igitur ſilentibus rationibus & legibus præſtigioſum hoc ſpectaculum plebi amplius exhibere, cum tutiora in medio ſint, quæ divinarum & humanarum conſtitutionum terminos non tranſiliunt, ita ut in læſæ majeſtatis divinæ crimen nicidamus, nec humano generi perniciem ullam cogitemus.

Ad argumentum merè Phyſicum nunc nos accingamus, ſumptum à corporum levitate, hujusque robur pro virili excutiemus. Cæterum cum per ſe invaldum hoc eſſe ipſe ſubolſecerit de ejus lubricitate confeſtim occupando proteſtatur, quod nimirum aliarum fœminarum materia & forma eadem ſit, quæ veneficarum. Quapropter cogitur aliam hujus eventus demonſtrandi viam inire, cum videat cauſſam in raritate & levitate non eſſe poſitam. Dicuntur quidem mulieres rariore & teneriore carne eſſe præditæ ipſis viris: attamen illa raritas (quæ corporis molliciem & laxitatem tantum reſpicit) ponderi & gravitati nihil adimit, quò minus aquis non ſubmergantur, experientia teſte. Aſſumens itaque aliud principium dicit: Veneficas priotis ſuæ formæ ſtatum eo momento, quo primum cum Diabolo paciſcuntur, & novæ formæ veſtitum induere. Præterea realiter diabolum eorum eſſentiam & partes omnes occupare, unde cum ſit ſpiritus leviſſimus fieri autumat, ut propter levitatem communicatam non ſubmergantur. Hæc quidem à Scribonio dicuntur ſed quam verè ulterius examinandum reſtat.

Et primò falſiſſimum eſt eorum formas eſſentiales per pactum immutari, & alias induci. Nam pacta hominum eſſentias non mutant, vel divina ea ſint vel diabolica vel etiam humana. Sic DEUS nobiſcum (nec obſtat perſonarum diſſi-

dissimilitudo ut nonnullis placuit) pactum iniit nulla facta sensibili essentiæ mutatione, quod & de aliis simili modo dicendum erit. Est enim pactum animorum inter se in unum & idem consensio dere aliqua contrahentium, nulla interveniente vel in qualitatibus, vel in substantia facta alteratione. Deinde qui dicit diabolum rerum formas mutare, prorsus amens & delirus est, nec principiis philosophicis recte instructus.

Formarum enim origo est jussus divinus quo res singulæ, sibi simile quippiam propagandi, vim sunt sortitæ. Et cum creationis opus nequaquam diabolo competat, quid est quod formæ immissionem aliquam novam ipsi adscribamus? quam solus DEUS (præsertim in homine) sibi reservavit. Hinc Theologi veteres rectè censuerunt Dæmones insitæ substantiæ viribus, si permissio accedat posse ea perficere, quæ motu locali & conveniente scitaque agentium & patientium conjunctione conflari possunt, rerum autem naturas contra materiæ habilitatem à creatore inditam nullo pacto posse immutare. Cum autem corporeæ materiæ certam quandam habilitatem & præparationem formæ inducendæ physico modo esse oporteat, qualis ab illis non potest produci novæ etiam formæ immissio facilè per se corruet. Et si ex pacto nova forma emergit sequetur, ut novam quoque quæ corpus informet immittat animam priore abolita, quorum neutrum ab ipso fieri potest. Dum modo enim homo est & permanet venefica, id solum ab anima informante obtinet. Atqui novam eam ipsum non producere hominis seductio & corruptio prima meridiana luce clarius ostendit. Nam prima illa primorum parentum instinctu diaboli facta depravatio, non essentiali formæ destru-

ſtructionem intulit, ſed in qualitatibus eſſentiæ tamen ſimplici convenientibus eam anima eſt experta. Poſita enim vel leviſſima ipſius eſſentiæ corruptione ipſam ſtatim interiiſſe oportuit. Quo conceſſo videremur ſanè pernicioſo illi dogmati patrocinari, quod de peccato ſubſtantiæ hoc tempore à nonnullis renovatum eſt. Proinde quando ſcriptura loquitur de veteri & novo homine, de carne vel ſpiritu, non hæc eſſentiarum ſunt nomina, quandoquidem regeneratio illa, ut Nicodemus putabat, non eſſentiæ ſed qualitatum fit ratione, per vitæ prioris emendationem & actionum Deo congruentium novitatem. Nihil igitur eſt cum forma ejusmodi, nova eſſe ex pacto non poſſit, neque ab illo produci, quod inani perſuaſione nobis obtrudatur, ad levitatem corporum, & natationis aptitudinem demonſtrandam ut deinceps oſtendemus.

Sine dubio ſcit Phyſicus ille ad levitatem corporum non adſumendam eſſe formam, ſed materiam: Forma enim rei perfectio & abſolutio eſt, neque corporis affectibus aut aliis accidentibus eſt obnoxia; materiæ autem habilitas, inſtructio & apparatio pro cauſſarum diverſarum ratione, variis affectionibus eſt expoſita. Levitatis itaque cauſſas quærimus in materia rara, poroſa, aërea & laxa, quæ facit, ut corpora quædam aquæ ſupernatent, ut lignum, fungorum genera, pennæ & alia ſimilia, alia craſſiora, compactiora & ſolidiora ſua gravitate fundum petant, ut metalla in terræ viſceribus genita. Cæterum cum antea ex Theologorum decreto dictum ſit, Demones rerum naturas contra materiæ habilitatem à creatore inditam nullo modo poſſe immutare: neminem ſpero in hac controverſia illi aſſenſurum, modò extremis labiis principia phyſica deguſtaverit. Quæ enim materiæ peculiaribus qualitatibus præditæ accepta ſunt feren-

ferenda, illa perperam formæ ad ſignantur, quæ ad affectus illos producendos, prorſus eſt inefficax, quandoquidem per ſe nihil agit forma vel patitur, ſed totum dicitur variis affectionibus obnoxium ratione materiæ diſſimiliter temperatæ ut Ariſtoteles & cum eo Phyſici rectè docent. Ut autem firmioribus niti videatur argumentis, ſcribit partes omnes corporis realiter à Diabolo eſſe obſeſſas, unde levitati majus accedere contendit incrementum. Nos contrarium aſſerimus veneficas non eſſe obſeſſas corporaliter, ſed mente tenus, quæ obſeſſio illis damnoſa & capitalis, cum ſcientes volentes & vigilantes, commercium cum illo contrahant, quod de obſeſſis nemo unquam auſus fuit dicere. Qui enim revera obſidentur, affliguntur miſerabiliter diſcerpuntur, præcipitantur, torquentur mirum in modum, neque conſtant ſana mente tempore paroxiſmi, nec corpore rectè valent, quod in ſtrigibus non item fit. Striges non utuntur peregrino idiomate, quod de obſeſſo quodam nobili teſtatur Fernelius: non de damnis vicino illatis dolent, ne- *Lib. de*
dum ut ulla unquam ſcelerum pœnitentia ducantur. Proin- *abditis.*
de ſtriges ſumunt ſibi potentiam edendi miracula, artem no- *reg. Cauſ.*
cendi per venena, aut incantationem, gaudent conviviis, indulgent choreis, converſantur & confabulantur cum diabolo quotieſcunque placet, quorum nihil fit ab obſeſſis: imò potius immunes ab eo eſſe ore & corde exoptant. Quam ob rem miror, maximè adeò abſurda ab eo fuiſſe prolata: quæ etſi ita revera ſe haberent, nihilominus ejus ſententiæ patrocinarentur: Nihil enim dubitandum eſt, etiam obſeſſos ſimili modo vinctos & in aquam projectos peſſum ituros. Satis clarè hoc docet hiſtoria Evangelica à Matthæo deſcripta: Ibi cum Chriſtus duos obſeſſos li- *Cap. 8.*
berat, petunt obſidentes Dæmones, ut in agmen por-

corum ingredi liceat, quod ita fit: agmen autem procorum in mare præcipitatum submergitur & perit. Hæc historia è diametro illius sententiæ repugnat, quæ porcos revera à diabolo obsessos, in maris profundum delatos esse scribit. Et quamvis à Paulo Dæmon dicitur esse spiritus vel princeps aëris: attamen non rectè inde elicitur, ex materia aërea & levi illum constare, sed quod spiritus sint pernicitate velocissimi, ita ut per aërem etiam momento, ad distantissima commeent loca, unde velocitas divinitatis loco à nonnullis est habita. Huc credo etiam respexisse veteres, quando spiritus omnes alites vocaverunt, instar alitum aëris tractus trajicientes, unde angeli á pictoribus etiam alati pinguntur. Dominatum etiam in aëre habere rectè creduntur, quod ventos, tonitrua, pluviarum impetus obortos nonnunquam horribiliter, si DEUS permittat, in hanc vel illam plagam detorqueant, ad vastandas fruges glandes, perdenda pecora, inundationes & similia: Neque aërem solum occupant, Dæmones sed & aquam & loca subterranea, ut veteribus Platonicis visum fuit, dum aëreos aqueos & subterraneos statuerunt Dæmones: Damnatur similiter eorum sententia, qui Dæmones alios in oriente ex suo merito collocatos esse, alios in occidente, alios in septentrione vel meridie sitos autumant, quibus in locis tanquam peculiariter ipsis destinatis commorentur & habitent. Inquieti enim sunt, & more prædatorum hic inde ad nocendum circum vagantur ut rabiem expleant. Nihil itaque & hoc argumentum de obsessione ponderis habet, cum nullo modo veneficæ obsessæ sint, neque si essent aliquid momenti ad levitatem obsessio obtineret, ut exemplis, & ipsa rei natura declaravimus. Quod præterea ad stabiliendam suam sentenciam, adducit provectionem de uno loco in

ali-

alium, idque per aëream sublimiorem, nihil porbat, aut corporum subtiliorem vel leviorem conditionem demonstrat. Transvectio enim illa nihil juvatur à substantia levissima volatili & spirituali, cui se manciparunt, illique ex pacto obtemperaturas se obstrinxerunt, vi & potestate præter corporum naturam sublevatæ, hinc inde nocturno tempore vagantur & discurrunt. Neque Christi corpus à Diabolo in templi verticem & montis cacumen traductum vel tantillum in suis qualitatibus fuit mutatum, aut aptius ad illam vectionem redditum. Ita diaboli potentia non modo homines sed & montes, ædificia projiciuntur & loco moventur, ut historia Jobi docet. Invalidum itaque est quod de aliter formata natura in veneficis prætendit, & de aplitudine ad tranandum aërem confixit, quando diaboli vis & potentia hoc efficere valet absque sensibili corporum alteratione. Non negamus fieri ejusmodi corporum translationem violentam neque ab eorum partibus standum esse putamus, qui hanc vanam & imaginariam esse judicant: In modo tamen hujus video diversas esse authorum sententias.

Affertur quoque in medium objectio de falsitate hujus experimenti ex natationis natura & conditione dum spiritum cohibemus, de sumpta cui sententiæ Wierum inniiti adfirmat: Verum spiritus cohibitionem non esse solam sed adjuvantem natationis caussam ab ipso rectè adfirmatur: nam scribit insontes sive cohibeant sive non tamen aquis obrui & submergi. Posse etiam insontes in superficie aquarum suspensas hærere, extra omnem est controversiam, cum spiritus ille inquietis & rugiens quovis momento pernitiei hominum inhiet. Neque dubium est quasdam etiam nocentes ab aquæ submersione immunes esse, cum nondum Deo visum sit pœnas ab illis exigere quos ad cer-

tum tempus DEUS judicio suo reservat, uti & in aliis sceleribus hoc usu venire quotidie experimur. Hoc certè est quod Diabolus in hoc experimento quæsivit, nimirum ut ex periculoso, dubio, præstigioso & Christianæ religioni contrario tentamine, pericula non solum corporis in nocentibus sed & animæ in aliis extra culpam positis imminerent. Quis enim maximum id esse peccatum negaverit, qua animam sauciat, conscientiam turbat, Deum tentat & naturæ ordinem pervertit, Wierus verò ut supra ostendimus, verissimam hujus caussam adserit, esse Dei permissionem, Diaboli potentiam quo magistratus illicita ejusmodi media usurpans in superstitione & errore magis confirmetur, uti & hoc ipsum fit in aliis explorationibus in medium allatis quæ & fallunt sæpè, interdum veritati nituntur cui obsequendum tamen non est cum sub mali specie inquiratur, quam vitandum esse Paulus monet.

1. Thessal. cap. 5.

Objectio altera de salvatione earundem commode omitti potuisset, cum maximè doleat diabolus, se omnes non posse in suos compedes Christi regnum labefactando conjicere. At nos agamus Deo gratias quod in tanta Diaboli tyrannide & sævitia aliquos adhuc sub suis alis protegat & ab illis imposturis præstigiosis liberet. Cæterum in media caussarum naturalium productione, forsan imprudens & inscius author prolabitur ad caussas præternaturales nimirum ad Diaboli potentiam, Dei permissu illas in aquis sustinentis. Agnoscimus sanè hanc caussam & pro rato habemus, sed cum spiritus sit fallacissimus & imperscrutabiles Dei dispensationes & occulta ejus judicia, experimento illi fides non erit adhibenda. In cogitantiæ illius adscribendum puto, qua dum naturales inquirit caussas, ad præternaturales tamen imprudenter delapsus sit, quarum

illæ

illæ à certis pendent caussis, & cum ratione possunt adhiberi : hæ incertæ sunt & ut irrationabiles fugiendæ.

Sed immemor sui ipsins tandem concludit & devolvitur rursus ad caussam naturalem, quam ut ipsius fert opinio ponit in spirituali quadam attractione, orta ex simili in earum corpore contenta levitate, atque hanc pro efficiente ponit. An per attractionem, suspensionem quandam in aqua intelligat ignoro : alioqui non perspicio satis, quid per attractionem intelligi velit, quandoquidem levitas in corpore, non est attractionis alicujus caussa, sed substantiæ raritas suspensionem in aëre vel aqua efficit. Neque quæ levia sunt attractioni sunt accommodatiora, ut de Agarico levissimo constat. Is bilem ad se non trahit & è corpore educit, sed substantiæ suæ hostilitate nostræ naturæ contrariæ, vim expultricem stimulando id efficit. Sic pulmones levissimi aërem non attrahunt, qui ad vitandum vacuum sponte ad eos defertur. Ideoque attractio illa vel suspensio ob spiritualem levitatem in eorum corporibus, dari non potest, cum neque revera obsideantur, neque formam ab aliis mulieribus tenent diversam. A sententiæ itaque nostræ fundamentis superius allatis, ne latum culmum discedendum putamus. Caussam finalem non improbarem, si media per quæ ad finem tenditur, sic essent disposita, ut aliquo modo possent tolerari. Quod cum non sit finem retinebimus, ut puniantur illa facinora coram DEO abominabilia: sed media explorationis finem præcedentia ut illicita summoperè detestamur & damnamus.

Quod attinet ad refutationes argumentorum contrariorum Scribonii, mirari satis non possum, quod ea ex alto despiciat & irrideat, quæ sacræ scripturæ sunt consentanea, neque citra prophananationem ejusdem admitti possunt. Nihil

obſtat nobis quod tale tentamen nonnunquam verum ſit. Conſtat enim non ſolum veram fidem ſtabiliri miraculis, dum opus eſt ad ædificationem, ſed & falſam fidem in ſui damnationem, vel aliorum probationem, idque fieri non ut exemplo vel imitationi nobis ſint, ſed potius terriculamento ad Idololatriam & hæreſin vitandam & exterminandam, ut Auguſtinus monuit. Præterea quæ jure civili & Canonico non probantur, quomodo Theologicis legibus ſe ſubjicient, aut probabilitatis ullam ſpeciem nobis offerent. Peraguntur fateor multa in judiciis & cauſſis criminalibus, quæ ex ſacris petita non ſunt, neque peti commode poterunt: attamen iniquè illa in foro adminiſtrari, nullus credo affirmabit. Verùm hæc purgatio per aquam frigidam à Jurisperitis ut diabolica damnatur. Hoc in authorem retorquendum putamus, utrum Chriſtianis uti liceat iis, quæ Chriſtianæ religionis fundamenta pervertunt, & blaſphema ſunt in Deum: Illa enim quantumvis conſuetudine inveteraverint, retinenda non ſunt, cum conſuetudo mala fide inducta temporis diuturnitate præſcriptionem non acquirat. Ideoque concedimus multa in forenſibus & domeſticis rectè fieri, in ſacris non præcepta, verum hoc conſtanter negamus non licere iis uti, quæ ſacræ ſcripturæ è diametro repugnant, nec citra conſcientiæ labefactionem uſu recipi poſſunt.

Tertiæ refutationis futilitas ex iiſdem poterit argui; quia una & eadem eſt cum priore. Affert etiam multa admitti à Theologis, qualia ſunt Adiaphora dicta, quorum in divinis mandatum extat nullum. Atqui parum hic obtinent Adiaphora in externis quibusdam cultibus poſita quæ conſcientiam non ſauciant, neque divinorum præceptorum excedunt limites.

Secun-

Secundi argumenti refutatio exquisitius examinanda venit, qua physicarum contemplationum ignorantiæ suos adversarios insimulare videtur. Scribit enim multa præter naturam fieri quæ tamen non sint contra naturam. Et cum præter naturam sit illa purgatio, creditur ipsi singulare quid obtinere, & corpora sagarum cum non submergantur, aliter quam aliorum hominum esse disposita. Quod primò adserit multa fieri præter naturam quæ non sint contra naturam paulò altius investigandum videtur, ut appareat, quæ sint contra, quæ præter, quæ supra naturam & quatenus huic proposito demonstrando conveniant. Animadvertendum itaque est, rebus naturalibus opponi res non naturales, id est quæ à naturæ ordine non pendent: Hæ triplices sunt, aut ἀντιφυσικὰ aut παραφυσικὰ aut μεταφυσικὰ. Ἀντιφυσικὰ ea sunt, quæ contra naturam rerum proprietates & vim à Deo insitam destruunt, ut mors ipsa, & hujus caussæ violentæ. παραφυσικὰ ea dicuntur quæ naturales vires aliquo modo impediunt & retardant, ut morbi omnis generis harumque caussæ. μεταφυσικὰ sunt quæ supra naturam in re aliqua accidunt, non à vi aliqua rei insita, non ordine naturæ, sed extra ordinaria quadam & majore Dei potestate, ut si ferrum vel venefica aquæ innatet. Hoc posterius cum prioribus omninò nihil participat, neque hujus conditio naturæ legibus paret. Inquirendum igitur erit in quam classem horum trium dictum tentamen commodè possit referri.

Contra naturã eã non esse indicat, quod, ut norunt omnes, per hoc nulla fiat naturæ destructio, ut in morte. Fieri quidẽ præter naturam hoc agnoscit: naturæ tamen non omnino contrariũ esse autumat. Si non est contra naturã, necesse est ut caussæ naturales in mediũ proferantur, quod frustraneo molimine tamen

tamen author tentavit. Deinde quæ præter naturam ſunt in cenſu non naturalium habentur, quo idem dicit & inſcienter ſe ipſum implicat & naturæ ordinem turbat. Et ſi fit præter naturam, proferri cupimus cauſas præternaturales, quales in morborum inſultibus videri licet, nec aberit multum, quin lubentes in ejus ſententiam deſcendamus. Artificialem video in ligatura decuſſatim facta, naturalem vel præternaturalem nullam, quæ naturali etiam, qualem prius commentus fuerat, prorſus refragatur. Quando dicimus multa fieri præter naturam, quæ non ſint contra naturam, intelligimus multa ſæpè in multis fieri præter naturam, id eſt præter ſperatum naturæ ordinem, vel artifex hoc ipſum, vel natura ipſa effecerit in morbis deſperationi proximis. Ibi præter naturam hoc fieri dicitur, & quidem miraculo impropriè dicto, cujus cauſſa extra naturæ limites non eſt ſita. Sed ſi non eſt hoc experimentum contra naturam, facilè illi erit, hujus eventus cauſſas inquirere quod haud dubiè tamen ipſum in primo limine franget. Cum igitur hæc præternaturali ſint: neceſſe eſt, ſecundum omnes phyſicos, & hæc in non naturalium ſeu contra naturam rerum numero recenſeri, convincente hoc ipſum rei evidentia & veritate. Atqui cum per hoc nulla ſequatur naturæ deſtructio, ad non naturalia quoque referri non poterit. Reſtat igitur ut ad ea transferatur, quæ omnino ſunt transnaturam & ſub nomine miraculorum comprehenduntur. Ea autem propriè ſunt miracula vel impropriè. Propriè miracula ſoli Deo competunt, quæ à nulla creata potentia potuerunt effici, ſi vel rem ipſam vel rei generationis modum reſpicias. Sub miraculis verò impropriè dictis, & hoc experimentum contineri extra omnem eſt controverſiam, quocunque tandem

dem modo id fiat. Si permittitur, Diabolus eas in aquis sustentare potest, præterquam quod astantium oculos fascinare, & experimento fallacissimo, superstitiosam plebem dementare, & illudere potest, ut antè de Magis Ægyptiis & eorum miraculis præstigiosis attulimus. Quamobrem quoscunque tandem nervos intendat Scribonius, nihil de caussis naturalibus vel præternaturalibus cuiquam poterit testatum facere, aut ulla veritatis specie ad applausum conciliandum apud mediocriter doctos se insinuare. Solum hoc negocium quocunque te vertas, superstitionis plenum est, & à diabolo, Deo connivente totum proficiscitur, quo nomine à prædictis caussis eximitur, & in Sathanæ ludum convertitur. Atque hæc satis sint de Scribonii rationibus, quibus putat se rem satis belle demonstrasse.

Porro si quis à nobis scire desideret, quod Jurispetus forsan in dubium vocet, utrum hæ consuetudines usu receptæ possint etiam abrogari, quando eæ ipsæ in jura ut vocant municipalia abire soleant. Huic objectioni respondemus, quod consuetudines etiam irrationales in bonis corporalibus aliquo modo possint tolerari: Verum in iis negociis, quæ Majestatem divinam attingunt, & conscientiam spectant, rectè illas aboleri posse Christiana religio serio jubet, ne malafaciamus ut eveniant bona. Jura enim indagandi alias vias licitas proponunt quarum vestigiis inhærere tutissimum semper est habitum. Et magistratus diligenter sibi prospiciat, ne talibus errorum illecebris se involvat dictisve præstigiis applaudat ad populi favorem aucupandum aut ludicra spectacula eidem exhibendo.

Hæc fuerunt quæ hoc tempore de suspecta purgatione Sagarum per aquam frigidam in medium afferre visum fuit, non tam propter authorem quem magni semper feci, ob eruditionem multi fariam, quam ipsius rei indignitatem & inauditam superstitionem Christianis Magistratibus nullo pacto sequendam vel approbandam.

Et primo quidem de quorundam populorum consvetudinibus, authoritate jurisperitorum confirmatis, egimus. Examinatis hisce nullum invenimus apicem, qui illis patrocinari videretur, præsertim quæ de purgationum generibus in medium allata sunt. Nulla enim ab authoribus probatur, præter eam, quæ fit per juramentum quæ & Pauli doctrinæ convenit, cum inquit: Omnis
Hebr. 6. controversiæ finis juramentum est. In criminalibus tamen & alijs enormibus facinoribus alia inquisitionis ratio ineunda, recte à Jurisperitis proponitur. Purgationes aliæ dictæ vulgares per duellum, ferrum candens, aquam ferventem vel frigidam, prorsus à sanioris mentis hominibus sunt reprobratæ & rejectæ. Etsi autem priores nostro proposito minus inserviant: voluimus tamen cum sub eodem genere comprehendantur earum mentionem facere, ut omnium communis natura, simul lectoribus patefieret. Demonstravimus satis luculenter, nihil communionis intercedere purgationi, quæ fit per aquam frigidam cum ea, quæ instinctu DEI per Moisem populo fuit demandata, si quando suspicio esset de adulterio. Differentiam quoque in ritibus supra ostendimus maximam, ita ut nec quadrare huic proposito possit, aut ad illius exemplar accommodari & effingi, quod non amplius nunc obli-

obligat. Sine dubio hæc purgatio à Celtarum consvetudine, qua Spurios à legitimis discernebant, ad nos usq; manavit, & à Diabolo clanculum incredulis surrogata est. Proinde consvetudine sic inveteravit, ut adhuc hodie in usu sit, cum boni speciem comparatione ad pœnam sub se continere videatur, & tamen res ipsa per se facto sint pessima: Plerunque enim in plebe quicquid semel admissum est, difficulter ex eorum animis excutitur. Neque etiamsi parvas radices egerit, funditus extripatur. Præterea satis mirari non possum, qui tam palpabiles nugas & superstitiones fœtidas Christiani magistratus, neque palpent, neque olfaciant, imò potius cum sui ipsius dedecore exerceant. Explosa igitur hæc purgatio à Jurisperitis ob consuetudinem irrationalem, à Canonistis quod Ecclesiæ gravamen inde immineat conscientiæque multum inde turbentur.

De Philarchi historia quid sentiendum sit breviter quoque attigimus, Si quid tale contingit in veneficarum oculis præstigiosum, certè quiddam est non reale, ut aliis exemplis declaravimus. In formarum sane mutatione Deus diabolo nullas concessit vires ut supra docuimus, quicquid alij, de mutatione hominum in lupos, boves vel alia animantia prætendant. Neque fidendum Bodino putamus, qui Nabuchodonosorem in bovem per septennium transmutatum ob communem escam autumat, uti & Magos Ægyptios veros fecisse serpentes statuit, & alia his similia vero minus consentanea. Wierus dum commiseratione erga veneficas ducitur, nec durius quicquam in eas decernit, ab alijs rectè est re-

sutatur. Interim tamen in hac purgatione cum aqua frigida ne latum culmum, ab eo discedendum esse existimo, quandoquidem & ipsi ob superstitiones & præstigias semper fuit habita suspectissima. Et quanto sæpius effectum speratum nanciscuntur hæc experimenta, tantò magis vitanda & fugienda sunt. At stabiliendum enim abusum & superstitiones in incredulis, hæc à DEO ita occulto judicio permittuntur.

Deinde progressi sumus ad argumenta illius ex subjecto intellectus & ipsa consuetudine ducta horumque corpus quam fieri potuit diligenter summovimus. Non enim cadunt in intellectum, aut ad leges Logicas revocantur, quæ Dæmonum opera producuntur, & inani præstigiarum spectaculo nos suspensos tenent insidioséque illudunt. Simile quoque judicium erit de consuetudinibus errore invectis, ut ante monuimus. Quæ porrò habet de merè physicis, nimirum corporum eorundem levitate, formæ substantialis mutatione, faciliore trajectione per aërem, demum ipsa corporali obsessione, simili perspicuitate & diligentia tractavimus, reique veritatem enucleavimus. Non enim formæ mutatio, quam tamen ibi esse vel fieri per pactum negamus, levitatem corporibus inducit, sed materiæ certa dispositio. Neque trajectio per aërem juvatur à levitate corporum, quæ violenta est nullis naturæ causis obtemperans. Denique & falsa sunt quæ de corporali obsessione proferuntur ut multis ostensum est argumentis, quæ quamvis adsit, à submersione tamen vix præservaret. Verum mox sui ipsius immemor ad caussas præter naturales, vel potius supernaturales, nimirum ad Diaboli potentiam, DEI permissu, in superficie aquarum eas detinentem rursus

dela-

delabitur, quod lubentes recipimus, si constans in sententia prolata perseveraret.

Ultimò author in manus sumit, refutationes eorum, quæ sententiam propositam infrigere posse ipsi visa sunt. Quam feliciter autem hoc perfecerit, ex inspectione superiorum satis innotescet, & præsertim ex iis, quæ de naturalium & non naturalium conditione & discrimine, aliquantò prolixius in medium attulimus: Iis enim diligenter examinatis, tandem eruimus, hoc experimentum ob ligaturam partim ariificiale, partim supernaturale esse, quod miracula propriè dicta & à Deo edita & impropriè dicta & à Diabolo profecta neque veris causis naturalibus subjecta comprehendit. In consideratione igitur omnium argumentorum, ad Lydium lapidem revocatorum, manifestè perspiciemus; admodum levia & lubrica authorem corrasisse, ad propositum demonstrandum prorsus elumbia, vel authoritates Jurisperitorum vel rationum physicarum pondera examines. Nos si quis meliora & veriora in lucem proferre poterit, non adeò erimus obstinati, quin facilimè in adversariorum castra descendamus.

Admonitionis loco addendum putavimus, ad gubernacula rerum sedentes commode posse receptam hanc alicubi consuetudinem totam irritam facere & abolere. Nihil enim vetat omnia posse rescindi & cassari, quæ nefas est Christianum hominem cogitare, nedum cum magna piorum offensione in publicam scenam producere. Rei igitur veritate & evidentia convicti, omnes magistratus, qui huic purgationi, in exploratione. Sagarum locum dederunt, culpam gravem agnoscent, & ne Dei meritam iram acerbius in se concitent

in posterum ab hujusmodi ludicris spectaculis abstinebunt. Sic etenim judicia licita, quæ sancta & inviolata servari decet, in diaboli ludum & Magiæ scholam degenerant & convertuntur. Nihil dubitamus hanc purgationem, abominationem coram Deo esse, nec aliter ipsum hac offendi, quam olim transmissione puerorum
Cap. 18. per ignem in Deuto: prohibita. Nec est quod ignorantia juris se excusent, cum à multis ante hac hujus purgationis experimentum sit reprobatum, & ut superstitiosum rejectum. Sed fit, quod plærunque fieri solet, ut vulgus opinione etiam teterrima concepta, tam tenaciter eam retineat, quam testa ejus odorem, quo primum imbuta fuerit, diutissimè postea servat.

Et nemini arctius opiniones conceptæ etiam futilissimæ insident, quam imperito vulgo, quod ludicris istiusmodi rebus delectatur, neque si de causis rerum abstrusarum edoceatur, cui astipulandum sit, propter ingenii ruditatem capere & assequi valet, Tumultuatur quoque vulgus in abrogatione ejusmodi spectaculorum, & dolet ea oculis præripi, ad quæ ipsæ veneficæ properant & ultro se sistere ambiunt. Credo autem eas à diabolo sic persuasas hoc facere spe submersionis, & liberationis à sparsis rumoribus & suspicionibus. Verum fallit sæpius, & in corporis discrimen nonnunquam & animæ perniciem impœnitentiæ tenaces ducit atque præcipitat. Admirandum non est inter Ethnicos & prorsus Dei ignaros homines, hujusmodi diabolicas præstigias floruisse, & adhuc impunè exerceri: sed plus dolendum quam admirandum est, in hac media Christianorum luce, multorum mentes tanta caligine & cæcitate involutas esse, ut abnegato & repudiato Christi nomine, in qui

qui Baptizati eum ipſum induerunt, Diaboli efficiantur mancipia, ipſiusque ductu ad quævis peſſima & Chriſtiano indigniſſima rapiantur facinora.

Æternum & veracem patrem domini noſtri JESU Chriſti, toto pectore invocemus & rogemus, ut per hunc, (ad quod miſſus in mundum eſt) opera Diaboli deſtruat, furioſas machinationes antevertat, fraudes mirificas aboleat, non ut ipſi ſacra & placentia fiant, ſed Dei regnum apud nos augeatur, & virtute ſpiritus ſancti ſtabiliatur, quod non in hiſce terrenis ſed cæleſtibus conſiſtit, ubi locum ipſe ſuis paravit, quo nos omnes DEUS clementer provehat, ut cum ipſo & omnibus angelis æternæ beatitudinis fruamur bono. Qui ſe diaboli laqueis irretiri & tentari patiuntur, dignas ſuæ Apoſtaſiæ luant pœnas, legitimo ordine dictas, fraudulento hoc experimento à bonorum ſocietate longiſſimè relegato, Amen.

Jacobus Strasburgius.

NIl tam blaſphemum eſt, quod non reperire patronos Poſſit, & auctorem reddere honorificum.

F I N I S.